


Édition originale  
du Prædium Rusticum  
portée à tort par  
Rousseau "L'agriculture"  
Paris 1774 -  
in 4° pp. - 50  
éinne parue en 17<sup>10</sup>  
à Paris -  
cel exemplaire  
renferme les 10 gravures  
de Diderot en gravé  
par Cars - en très  
belles épreuves - et  
il est rare de trouver  
cette édition avec les  
10 figures - surtout en  
relieure de l'époque -  
quasi postérieure; le gravur  
J F Cars était né à Lyon en  
1670 -

PV



*Resp Pf XVIII - 135*

JACOBI

VANIERII

è

SOCIETATE JESU,

PRÆDIUM RUSTICUM.




TOLOSÆ,

Apud ANTONIUM COLOMYES,  
Typographum, propè Palatium.

---

M. DCC. VI.







ILLUSTRISSIMO VIRO  
NICOLAO LAMONIO  
BAVILLEÆO.

**V**I D E S quām obsequentem me habeas, VIR ILLUSTRISSIME, qui musas, atque intermisam agrorum culturam non resumam modo, quod suaseras, sed opus aggrediar quod universam ferè ruris disciplinam complectitur: id enim oneris imposui mihi, ut predium rusticum duodecim conficerem libris, quorum argumenta subjicio, ut fide tibi semel obligata, nulla me negotia, nullus scribendi labor à suscepio consilio deterrere deinceps possint. Primo quidem libro docebo quomodo fundum emi, ac reparari oporteat. Deinde servorum delectum, & varia singulorum in excolendis agris ministeria persequar. Tertio laboriosissimum hominis in agriculturā socium Bovem aliasque informabo pecudes quæ vel in consortium operum vel redditūs & custodiæ causa nutriuntur. Et quoniam empto prædio compa-

## EPISTOLA.

ratisque ad illius culturam servis, & pecoribus, statim conserendum censem rusticarum rerum periti, calendarum arborum rationem tradam in 4° libro. in 5° annuas agrorum operas summatim sequar, ut quid quaque tempestate ruri peragendum sit, uno velut intuitu conspicatur; quo loco de pratis & segtibus præcipiam quæcumque sciuū digna judicavero. Tum plenius tractandas aggrediar delicatores rusticationis partes, hortos scilicet vires, optimamque vini conficiendi rationem. Adjiciam denique aves Cortales, Columbas, Et piscinam; quæ ad rem familiarem non minus quam ad villaे splendorem pertinent. Ulimum domestico Lepori librum destinaveram, ut rusticis conviviis eas quoque adderem epulas non pecuniâ, non venantium sudore partas: sed intellecti placere tibi ut venationis voluptati magis indulgerem, neque Leporem unum, sed sylvestrem quoque Capream, Aprum, Damam, aliasque fulvas, ut vocant, feras meo vivario includerem. Cujus argumenti amanitatem eò libentius sequar, quo me à proposito non recessurum puto, si traditâ totius agriculturae arte, id demum apposuero quod magnoperè invitet, rurique quam diutissimè teneat dominos quorum præsentia in operibus rusticis tantum pollet, ut nullo terra lœtamine pinguior fiat quam si frequentibus domini vestigiis proculceatur.

Habes, VIR ILLUSTRISSIME,

## E P I S T O L A.

seriem propositi operis cuius magnitudine ne  
& ipse scribendo opprimar, & tu legendo de-  
fatigeris, binos, vel singulos seorsim libros  
edere constitui, postquam illos tuo iudicio  
comprobaveris. Is enim es quem arium om-  
nium ac scientiarum non patronum modo, sed  
& magistrum veneramur. Namque apud ora-  
tores constat, non habere illos unde meliora  
eloquentiae documenta sumant, quam si te di-  
centem in publicis Provinciae comitiis au-  
dierint. Quantum in pertractandis negotiis,  
rebusque publicis administrandis proficiunt  
qui te proprius inuentur, declaravit equissi-  
mus rerum astimator Ludovicus magnus,  
qui Cursonium filium tuum praefecturam donavit  
amplissimam, non tam perpendens ejus annos,  
quam exemplorum tuorum vim, praeclaram-  
que illius indolem faustis sub penetralibus enu-  
ritam. Et quamquam usus togæ tranquillior,  
te à gerendis bellis amoverit, ubi tamen Pro-  
vinciae salus te ad arma capessenda compulit,  
perspectam animi tui magnitudine, reique belli-  
ca peritiæ, non longis experimentis, sed mi-  
râ ingenio sagacitate partam, exercitatissimi  
bellatores te, non consiliorum modo, sed & ar-  
morum Ducem sequebantur. Sed ne cetera in-  
tempestivè commemorem; quanto mihi ad rem  
poëticam adjumento futurus es, jam probè  
novi ex frequentibus tuis litteris iisque uber-  
rioribus quam ab occupatissimo viro sperare  
debueram: nec possum quin gratuler ipse mi-

## EPISTOLA.

bi, qui in Provincia repererim præsidium, quale Parisiis habuere maximum Rapinus, Comirius, Ruens, aliique celeberrimi vates, quorum acuebat industriam **LAMONIUS** pater tuus Senatus Parisini Princeps illustrissimus, nec fortunarum magis, quam famæ arbiter. Tu apud illum in Musarum quasi domicilio educatus, & paternarum virtutum emulator, studia mea non adhortando tantum sed erudiendo quoque promoves; minusque tibi deboe quod munificentissimâ tua voluntate scribendi oium feceris, quam quod consiliis caveas iuis, ut otio illo rectè fruar, nihilque è manibus in publicam lucem elabi sinam, quod tuo nomine indignum videri possit. Perge & depositâ bonitate quâ soles ad te adeentes excipere, duram nunc primum severitatem adhibe: versusque quos ad te mitto libere redargue. Quantum enim alii tuâ apud Regem granâ ad honores & dignitates enituntur, tantum ego in scribendo præsidium spero ab acutissimâ illâ ingenii vi qua tibi non minus apud litteratos quam apud politicos commendationis affert.

Deditissimus.

J. VANIERIUS.  
è SOCIETATE JESU.



# PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU  
Roy de France & de Navarre , à Nos amez &  
feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de  
Parlement , Mrs. des Requêtes ordinaires de Nô-  
tre Hôtel ; Grand Conseiller , Prevôt de Paris ,  
Baillifs , Senechaux , leurs Lieutenans Civils &  
autres Nos Justiciers qu'il appartiendra , SALUT .  
*Le Pere Vaniere de la Compagnie de J E S U S , Nous*  
à fait remontrer qu'il desireroit donner au public  
un Livre intitulé, *Jacobii Vanierii è Societate JESU ,*  
*Prædium Rusticum* ; S'il nous plaisoit luy accorder  
Nos Lettres de Privilege sur ce necessaires . Nou s  
luy avons permis & permettons par ces presentes  
de faire Imprimer ledit Livre en telle forme , mar-  
ge , Caractere , & autant de fois que bon luy sem-  
blera & de le faire vendre & debiter par tout nô-  
tre Royaume , pendant le tems de huit années  
consecutives à compter du jour de la date desd.  
presentes ; Faisons deffences à toutes sortes de per-  
sonnes de quelque qualité & condition quelles-  
puissent être , d'en introduire d'impression étran-  
gère dans aucun lieu de nôtre obéissance ; & à tous  
Imprimeurs Libraires & autres , d'imprimer , faire  
imprimer & contrefaire ledit Livre , sans la per-  
mission expresse & par écrit du dit exposant , ou de  
ceux qui auront droit de luy ; à peine de confis-  
cation des Exemplaires contrefaits , de quinze cens  
Livres d'Amande contre chacun des contrevenans ,  
dont un tiers à nous , un tiers à l'Hôtel-Dieu de  
Paris , l'autre tiers audit Exposant , & de tous  
dépens , domages , & interêts ; à la charge que ces  
presentes seront Enregistrées tout au long sur le  
Registre de la Communauté des Imprimeurs &



Libraires de Paris , & ce dans trois mois de la date d'icelles ; que l'impression dudit Livre sera faite dans Nôtre Royaume & non ailleurs , & ce en bon papier & en beau Caractere conformément aux Reglemens de la Librairie ; & qu'avant de l'exposer en vente , il en sera mis deux Exemplaires dans Nôtre Bibliothèque Publique : un dans celle de Nôtre Château du Louvre , & un dans celle de Nôtre très cher & feal Chévalier Chancelier de France , le Sieur Phylipeaux , Comte de Pontchartrain , Commandeur de Nos Ordres ; le tout à peine de nullité des presentes du contenu desquelles . V O U S mandons & enjoignons de faire jouir ledit exposant ou ses ayant cause , pleinement & paisiblement , sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement : Vouloirs que la copie desd. presentes qui sera imprimée au commencement ou la fin dudit Livre , soit tenue pour dûément signifiée , & qu'aux Copies Collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseilliers & Secrétaires foy soit adjoutée comme à l'Original ; Commandons au premier Nôtre Huissier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles , tous Actes requis & nécessaires , sans demander autre permission , & nonobstant Clameur de Haro , Chartre Normande , & Lettres à ce Contraires ; Car tel est Nôtre plaisir . D O N N E à Versailles le 11. jor de Juillet , l'an de Grace 1706. & de Nôtre Regne le soixante quatrième . Par le Roy en son Conseil .

Signé L E C O M T E .

Registré sur le Registre N°. 2. de la Communauté de Libraires & Imprimeurs de Paris , p. 134. n. 283. Conformément aux Reglemens & notamment à l'Arrêt du Conseil du 13. Aoust 1703. à Paris ce 21. Aoust 1706.

Signé G U E R I N , Syndic .  
Les Exemplaires ont été fournis .

# APPROBATION.

J'AY lu par l'Ordre de Monseigneur le Chancelier, l'Ouvrage intitulé, *Jacobi Vanierii*, è Societate J E S U Prædium Rusticum, qui m'a paru très digne d'être donné au public. FAIT à Paris le 8. Juillet 1706.

RAGUET.

---

## FACULTAS

### R. P. PROVINCIALIS.

Ego Petrus Nicolas Societatis J E S U in provincia Tolosana præpositus Provincialis, concedo ut Typis mandetur, *Prædium Rusticum à Jacobo Vaniere Societatis nostræ compositum*, & ab aliquot ejusdem Societatis patribus approbatum. Datum Tolosæ die 8. Junii 1707.

PETRUS NICOLAS.

# ΕΡΡΑΤΑ

## ERRATA.

- P** Ag. 32. v. 16. propriori, *lege*. propiori.  
P. 41. v. 2. qni *lege*, qui.  
P. 52. v. 21. ætas non *lege* non ætas.  
P. 71. v. 9. sponsam *lege* sponsum.  
P. 113. v. 17. permi tenda *lege* permittenda.  
P. 115. v. 20. faltus *lege* saltus.  
P. 122. v. 23. Fabulo *lege* fabulo  
P. 148. v. 5. Suas *lege* suos  
P. 162. v. 24. Vincinis *lege* vicinis.  
P. 171. v. 15. Draconatia *lege* Dracontia.  
P. 242. v. 2. Exignis *lege* exiguis  
P. 257. v. 6. Mutuens *lege* metuens.





I. Lib.



L.M. Dumesnil d.

J.F. Care f.



# PRÆDII RUSTICI

LIBER I.

**M**E quoque Parnassi per Iubrica culmina  
raptat

Laudis amor ; studium sequar insanabile vates  
Ausus non operam , non formidare Poëtæ  
Nomen : adorati quondam nunc penè protervo  
Monstrantur digito vates ; seramque relinquunt  
Non audit uro cineri post funera famam.

Haud tamē arma meis male cōgrua moribus aūsum  
Imbelli tractare manu : dat maximus amplam  
Materiem Lodoix victo clarissimus orbe ;  
Sed jam trita nimis laudum seges : artibus hostes  
Usque novis domat ille ; novum non usque Poëtis  
Laudandi genus est. Heroum fabula veris  
Vincitur historiis ; stupefactaque fama triumphis  
Nunc filet , & longo plausus propè concidit usu

A



Nec tenui vacat in focco , grandive cothurno  
 Vel fletum populis , vel inanem extundere risum  
 Et mea cum nullo doleat mens percita casu ,  
 Non gemitus ultro quæram , causasque dolendi ,  
 Tristibus illacrymans elegis ; non quemque canino  
 Allatrans studio , satyras sectabor amaras.

Secreti tacitâ capior dulcedine ruris :  
**Q**uod spectare juvat , placuit deducere versu :  
 Dulcis enim vetat ingratum sentire laborem  
 Materies ; & me , solers si forte negabit  
 Ingenium , facient amor & natura Poëtam.

Vana deûm simulachra Ceres cum patre Lyæo  
 Cedite ; fœcundat vero qui numine terras  
 Christiadis colitur toto Deus unicus orbe.  
 Humanæ Pater & rector sanctissime gentis ,  
 Tu morbo procul , & lethi formidine , ruris  
 Inter opes , hominem quondam melioribus ortum  
 Auspiciis , blandos dederas sine crimine soles  
 Ducere , dum veteres ultro deponeret artus ;  
 Et vitæ pertæsus , humum mutaret olympos .  
 Unius en? culpâ excidimus , pomumque nefastis  
 Mortibus absumptum , cunctis decussit honorem  
 Arboribus : non jam segetes injussa merumque ,  
 Sed steriles tribulos , & gramen inutile tellus

Parturit ; & lœsi juvāt ultrix numinis iras.  
 Paremus taciti ; luimusque paterna volentes  
 Crimina : nec petimus natas sine semine messes  
 Educet ut tellus ; hominemque in prima reponas  
 Fœdera ; sed iusso victum sudore parantū  
 Ut faveas clemens ; & quos felicior olim  
 Nescierat natura, juves nunc arte labores.

Aggrediar , duce te , mores habitusque locorum  
 Explorare ; bonos partis accersere fundis  
 Agricolas ; curare greges , sociosque laborum  
 Informare Boves ; & agrestibus atque sativis  
 Arboribus vestire solum : tum prata secutus ,  
 Et segetes , operasque omnes quas annua ruri  
 Cura refert ; Olus , & Vites , Vinumque resumam:  
 Et constabit honos cultis ubi debitus agris ;  
 Chortales addam volucres , mollemque Columbam :  
 Äquoreo dein stagna gregi , Leporique fugaci ,  
 Et Capreæ , & timido ponam vivaria Cervo.

Lamoniidūm decus & columen , quem publica rerū  
 Cura tenet , tibi ne qua forent infecta , colonis  
 Hanc quoque me dare cogis opem: tibi cœtera debēt  
 Agricolæ , duro tutas à milite fruges ,  
 Et quæ vel medio regnarunt otia bello.  
 Te prohibente , suos usu peiore ligones

## 4 PRÆDII RUSTICI

Lethiferum numquam conflavit arator in ensim ;  
 Disjunxitque Boves , & lamentabile flenti  
 Uxori , & pueris opera imperfecta reliquit.  
 Hæresis antiquos quamquam meditata furores ,  
 Vincino de monte viros in bella vocaret ;  
 Oppidaque armorum fremerent excita tumultus  
 Pax aluit segetes ; nec agrestes ulla colonos  
 Sollicitos habuit festi quām cura triumphi.

Hinc regem juvat usque novis provincia donis  
 Prodigia : namque tibi quid' deneget illa petenti :  
 Si non obsequiο , si non cedamus amori ,  
 Vincimur eloquio ; reque hortatore , volentes  
 Quidquid opum est , bello dudu' impertimus ; & urbēs  
 Pro Patriā , pro Rege , viris spoliamus & auro.  
 Quare agite agricolæ , duris & ut excita rebus  
 Adsit humus , mecum proprios expendite cultus .

Immensos alii tractus , & grandia quærant  
 Prædia , centenis quæ convertantur aratis .  
 Cui placet utilitas & amœni gratia ruris ,  
 Quo potiatur emat , non undē gravetur ; & agri  
 Non faciem tantum , sed aquas auramque salubrem  
 Inspiciat ; nec quām bellé , quām ductilis alte  
 Unda fluat , sed quām facilis , quām largior hortos  
 Irriget , & totos latē fundatur in agros .

Sit clemens cœlum ; levis & perlucidus aër ,  
Tellus exiguae pendens , nec planior æquo  
Perlibrata situ , neque montibus aspera nudis ,  
Nec nimis in valles depresso , nec humida stagnis .  
Arduus ad boream mons tempestate laborat ;  
Et segetem planis imber suffocat in agris :  
Villaque demissas intra quæ condita valles  
Prospectu caret ; & pluviarum sœpe ruinâ  
Obruitur ; mediâque vapor concretus in aurâ  
Spicatae cereri nocet , & florentibus uvis .

Non cupidè visumque semel mercabere fundum ;  
Quæ bona sunt propriâque nitent virtute , placebunt  
Usque magis . Macræ segetes , Virgultaque passim  
Non procera satis , neque succo plena , docebunt  
Si quod inest terræ vitium ; sed tabida cœli  
Si fuerit plaga , si gravior , si morbidus aër ,  
Indicium facient manifestum , & rara senectus ,  
Atque sepulchrali macies , pallorque , colentum .  
Ore sedens , oculorum acies offensa , laborans  
Pectus , & infirmo segnes in corpore mentes .

Ipsa autem , quâ sana vigent & corpus & ipsum  
Ingenium , cœlo consentiat unda salubri .  
Optima quæ saxis præceps aqua volvitur ; illi  
Proxima quæ puteis facili deducitur haustu ;

Tertia cisternæ ; pigro tetterima lapsu

Quæ tacitis irrepit agris : nam si quæ palustres

Lympha jacet cannas inter , det pocula tantum

Queis præsens suprema deest in fata venenum.

Non odor ullus aquis , ut in aëre , non sapor ullus

Quæritur : anguillis si quæ scatet , atque bibentum

Pallida liventi non inficit ora colore ;

Vasa nec obducit crustis , neque lenta legumen

Concoquit , & facilis subjectos concipit ignes ;

Nec longum post dein tempus nativa resumit

Frigora , qualis erit vulgo quæ montibus altis

Dejicitur , levis , & cursus tenuata per ipsos ,

Hæc animis favet & stomacho ; potuque salubri

Curat oves , fœcundat agros , & fontibus ornat.

Sed formosa magis quam pinguia prædia fucum

Non faciant : cultu nam sœpe decora laborant

Rura suo , fructus sterili absumentia sumptu.

Arva nec ex spatiis quoque grandibus astimet  
empor :

Circumeat fundum ; paleas , olearia vasa ,

Iliceosque cados , spectans & torcula , villæ

Conjiciat redditus ; nova vestigalia norit ;

Et sciat expensis superest quæ copia factis.

Cuncta minutatim quærens interroget ipsos

Agricolas: videat fessis an p̄tata juvencis  
 Læta virent; an sylva trabes, & cædea ligna  
 Sufficit, armentis an aquaria cōmoda, laxa  
 Pastio, conveniens stabulum; num pinguior hortus  
 Aut oleri saltem locus opportunus alendo;  
 An facilis via quæ dominos invitet ad agrum,  
 Et quā ruris opes plaustris vēcentur in urbem.

Ne levia attendas; ut, matutinus euntem  
 Si radiis sol infestat, reducemque molestat  
 Vespere: si misera est & non habitabilis ædes,  
 Dum solida, & tenui non irreparabilis ære,  
 Et vasta, & veteri quoque majestate superba.

Nec refert quod rura situ male consita sordent,  
 Horrida neglecto squallet quod vinea cultu,  
 Limphaque silvestres fluit infœcunda per hortos.  
 Hunc eme quem modicis meliorem sumptibus agrū  
 Efficias; ubi cuncta vigent; ubi grandia fœlix  
 Progenerat virgulta solum; folioque tenaci  
 Luxurians hiemi vix arbor cedit, & altâ  
 Sub nîve servat adhuc ramī viridantis honorē.  
 Ipsa autem renovata brevi se terra quiete  
 Restituit, tum sponte sinus fœcunda virentes  
 Graminibus tegit injussis; facilisque moveri,  
 Nec pluvium tenet humorem, neque finditur æstu

Sed ne prima soli facies imponat , ab alto  
 Erue : maternæ vitium telluris in ipsos .  
 Gliscit enim fructus ; morbos quibus ipsa laborat ,  
 Ut teneris cum lacte parens transmittit alumnis .  
 Elige vicinos magnis aut urbibus agros  
 Aut grandi pago , vel quod ratis ambulet amni :  
 Ditat enim villam facilis vectura ; frequentes  
 Nec desunt operæ ruri , nec agrestibus armis  
 Artifices fabrique . Tamen sic distet ab urbe  
 Fundus , ut hospitiis non infestetur acerbis .

Te quoque vicini juvat explorare coloni  
 Et studia & mores : ut enim est sapientis , acerbos  
 Erigere in casus animum , quodcumque malorum  
 Sors inimica ferat ; stolidæ sic mentis iniquam  
 Sponte parare sibi sortem ; litesque perennes  
 Vicino cum fure suis transmittere natis .  
 Nam modo subducit rivos fitientibus herbis ;  
 Agrorum rodi fines ; aut aggere facto  
 Immitti torrentis aquas ; impune vagari  
 Nunc aliena vides cultos armenta per agros ;  
 Et tuus incertæ si quid grex attigit herbæ ,  
 Lis oritur , sua quam judex in commoda ducit ,  
 Et pecudes habet , ante tuo quam pascua juri  
 Asserat ; ut magno tibi vel victoria constet ;

Ec

L I B E R I.

Et debellato redeas non latus ab hoste.  
Prætereo raptos furtim de vite racemos ;  
Avulsas cum fronde ~~putes~~, è chorte volucres  
Abductas, tenerosque vagis cum matribus Agnos,  
Atque Bovem, qui si pereat, vicinia furti  
Sit suspecta tibi ; neque enim solet ille remotos  
Errabunda procul vestigia ferre per agros.

Quam miseros condes soles hæc inter ; ubique  
Dulcis amicitia est ; sed fidus rure sodalis  
Utilis imprimis ; ut tœdia gratus amico  
Diluat alloquio ; convivia mutua curer ;  
Auxiliumque ferat bonus accipiatque vicissim.  
Quæ tibi si ruri deerint, animumque vacantem  
Et volucres tantum pascant, tacitique recessus ;  
Nec nisi cum stupidis tibi sint commercia servis ;  
Urbanos repetes neglecto rure penates.  
Atqui non melius terræ lètamen opimæ ,  
Quam præsens oculus domini , cui rure laborum  
Utilitas placeat , nou desidiosa voluptas ,  
Otiaque ad gelidos fontes & ad arboris umbram.  
Idcirco quantum domini fortuna , vel agri  
Nobilitas patitur , tibi commodiiora domorum  
Extruc membra ; dabis tamen otia prima serendis  
Aiboribus , postrema domo stabulisque parandis.

Incipe, & agricolæ quod inertia longa prioris  
Perdidit, in melius felici corrigē curā.

Namque parens hominum æternā sortita juventam,  
Non senio tellus, non deficit ubere partu;  
Sed facili vires, & fertilitatis honorem  
Restituit cultu. Nos contra cum semel annis  
Invasit nullā reparabilis arte senectus,  
In pejus ruimus; nec habet natura regressum.

Expediendus erit saxis & gramine campus  
Et silice, & junco: filicem fatione fabarum  
Interimes; juncos vinces & gramen aratro:  
Sed lapides manibus remove, mediosque per agros  
Altius accumula; vel grandibus obrue fossis.  
Sæpe tamen cupidos humus exoscula colonos  
Decipit; amotis seu jam durata lapillis  
Parcius enatam succos immittat in herbam;  
Sive repercutiens solem, radicibus imis  
Calculus auxilio est, & iniquos temperat æstus.

Horrida si musco vel inertii obducta senectæ  
Prata stu, fœnum pariunt ignobile; stercus  
Ingeret, vel cineres: quæ si cui pigra videntur  
Auxilia; effossum frumentis exaret agrum.  
Sed residis ne forte soli prior impetus obsit  
Messibus; ante rudi cererem quam rusticus agro.

Obruat, herbosâ nimias farragine vires,

Pallentique Fabâ, Napoque absumat edaci.

Prædia si fuerint nimium nemorosa, revulsis

Arboribus, glandem pingui mutabis aristâ.

Namque habilis segeti est, qui frumentaria lucus

Silvestri rudit ex habitu redigetur in arva.

Mollius ut pecori gramen nascatur ovillo,

Aiva tenent si qui frutices inculta, cremato.

Ast ubi deficient sylvæ; Pinumque virentem,

Et Platanum pones, seraque nepotibus Ulmos.

Sufficies Oleas, si quas dejecerit austus:

Pomaque degeneri passim vilescere fructu

Non patiere; novâ sed ab infitione repostos

Sedulus elicies primâ cum laude sapores.

Sicubi stagnanti seges emoriatur ab imbre,

Affer opem; & medio largas duc æquore fossas.

Occultos, ubi terra fluit sabulosa, canales

Obcoecabis agris: neu præcludatur aquarum

Exitus, illapsusque; sub os utrumque refixis,

Pilarum vice, ponticulos imitabere saxis.

Si fossis uligo nocens siccatur apertis;

Imbricis instar hient latera inclinata; solutâ

Ne vitiemur liumo, vel edaci flumine ductus.

O! tibi torpentes si derivare paludes

Fata darent, cæloque novas ostendere terras,  
 Quæis sparsum tegeres semen; proli? fœnore quanto  
 Responderet ager, cuius vigor integer ævi.

Siccatis en! ad Bliteram circumspice stagnis, a  
 Luxuriet quâm læta seges? quâm pinguia findant  
 Æquora vomeribus qui navibus ante secabant.  
 Namque suâ totum romana potentia mundum  
 Sub ditione tenens, ne quid deperderet agri,  
Quo nullus toto melior sibi paruit orbe;  
 Fecit iter pigræ longo sub monte paludi:  
 Grande opus? emensis exhinc nec inutile sæclis.  
 Altius ignoto manabant tramite limphæ;  
 Oceanum sed utrumque novo qui fædere jungit  
 Alveus, excisi per viscera saxea montis  
 Dum foditur, patuere cavi spiracula ductus:  
 Opposuitque suos nostris antiqua labores  
 Roma, quasi bello fuerat quæ victa, sub eisdem  
 Montibus, artificum certaverit æmula laude.  
 Cæsarea humorem tacitum, ranasque palustres  
 Vicinum in pelagus deduxit Roma, juvencis  
 Exiguos ut parca soli proscinderet agros.

*a Romani non procul à Bliterâ juxta vicum cui à  
 Dei monte nomen est, paludem exsiccarunt eundem  
 que aquis traducendis perforarunt montem, quem  
 deinde Riquetus immortalis memoriae vir Regii alvei  
 author effodi jussit navibus sub ipsâ humo iterfacturus.*

Gallia

Gallia sed gemino faciens commercia ponto,  
 Ignotos b<sup>a</sup> ratibus calles tellure sub imâ  
 Effodit; & longo suspensis fornice lymphis  
 Quæ medium non inde procul per inane volabant  
 Icariam visæ naves timuisse ruinam:  
 Nunc sub humo mersæ, stygii nigra verrere Ditis  
 Stagna potent, & rapta tuos Proserpina casus  
 Formident; primos aditus, & opaca locorum  
 Limina ni teneant, non atia Cupressus, & ore  
 Cerberus immani latrans, umbræque silentes;  
 Sed dulces oleæ; sed oves oviumque magistri  
 Qui tenero resonare docent loca garrula cantu;  
 Ergo citis naves ubi subterranea remis  
 Äquora sulcarunt, penetrato monte, patescunt  
 Arva, vel elysiis affingere qualia campis  
 Non potuit, qui nec Bliteram, nec thessala Tempe  
 Conspergit vates. Sed amœni gratia ruris  
 Non movet insolitâ puppes formidine captas.

b Inter alia Regii Alvei miracula, tria imprimis  
 stupenda quæ ibi memorantur non longis occurruunt  
 intervallis. Primo quidem transversum fluvium impo-  
 sitis pontibus transmittunt alvei lymphæ. Montem  
 deinde perforatum penetrant. Molibus denique la-  
 boris eximii retinentur aquæ præcipites, ut facilem è  
 monte descensum habeant onerariæ naves.

Namque ubi processere , jugo sublimis ab alto  
 Labitur unda sonans ; altas quo more per Alpes  
 Auctior imbre ruit saxa inter inhospita torrens.  
 Stant in præcipiti naves ; & lapsus aquarum  
 Suspensas tacito pinus hotrore fatigat.  
 Abruptis tamen unde leves vix ante Capellæ  
 Decurrere jugis ; operum molimine grandi  
 Descensus habet hinc faciles oneraria navis.

Hæc tua laus , Riquete ? tibi mea Gallia debet  
 Quo nihil ad patriæ splendorem grandius , usu  
 Quo nihil uberior . Mutato flumina cursu  
 Jussa novas intrare vias , diruptaque saxa  
 Alcidens vetuere mori. Vicere labores  
 Herculeos , quæ tu , per prodigiosa locorum  
 Intervalla , mari gemino commercia præbes.  
 Magnæ mentis opus ! quod , si mortalia cures ,  
 Tu quoque nunc cælo videas miratus ab alto ,  
 Ni foret in terris oculos quo pascere mavis  
 Lamoniâ de matre nepos , cui magna parantur  
 Virtutum documenta domi , seu martia quondam  
 Huic galea , aut themidis sacros premat insula crines ;  
 Seu patrui insistat vestigia , sive parentis :  
 Legibus hic regni beat interiora , Tolosam  
 Divitiis , altisque animis , & moribus ornans ;

Hic patrios Gallo tutatur milite fines.

Aspice Vangiacis nuper bellator in agris  
 Ut fractis fert rebus opem ; numeroque superbum  
 Exiguis audax remoratur viribus hostem ;  
 Difficilemque refert palmam , quo cardine rerum  
 Si fugeret, viciisse fuit ; propriamque salutem  
 Cum desperassent alii , Carmanus equestres  
 Liberat adversâ turmas in parte relictas.

Militibus loca nulla suis ratus invia , tutos  
 Cum post terga fugæ calles reperisset, in hostem  
 Quadrato medius junctum movet agmine martem :  
 Oppositamque ruens aciem manus una , phalanges  
 Innumeræ inter , sibi per tormenta, per enses  
 Pandit iter ferro ; socios à morte reducit ,  
 Ostetiumque probrum victricibus eluit armis.

Illius hunc retulit facti Carmanus honorem  
 Quem Lodoix sine more datum sperare nepotes  
 Lege cavit : neque enim rerum putat arbiter æquus  
 Posse virum posthac sibi tantum ascissere laudis.

Stagnantes docui latices educere fundo :  
 Arida nunc riguis ubi fontibus arva carebunt ;  
 Signaque deprendes lymphæ manifesta latentis ;  
 Gaudentes cælo latices erumpere , terris  
 Erue ; & indiciis ne decipiare dolosis :

Mane , prius Titan quām publica præbeat orbi  
 Lumina , pronus humi speculabere solis ad ortum :  
 Atque ubi subtili nebulā consurgere crispum  
 Aëra conspicies , tenuemque emittere rorem ;  
 Lympha latet : nova signa dabunt & muscus aquosī  
 Ruris amans , culicumque globus revolutus in or-  
 bem

Desuper , & madidâ gaudens tellure Conysa ,  
 Et Junci , & Salices , & arundiferæ Calaminthæ ,  
 Et dulci quotquot frutices humore creantur.  
 Si quid adhuc animi incertus dubitabit aquarum  
 Explorator , humum fodiat ; puteoque cavato  
 Ardentes oleo lychnos , aut vellera lanæ ,  
 Incoctos lateres , inversaque vasa reponat  
 Intus , & angustam multo tegat assere fossam .  
 Si videt extinctas exactâ nocte lucernas ,  
 Æraque concepto sudore madentia , lanam  
 Stillantem , & liquido lateres humore solutos :  
 Quærat aquæ caput occultum , firmataque rursus  
 Indiciis ea signa novis ut roboret , ignes  
 Admoveat : nam si nebulosos humida fumos  
 Eructabit humus , suberit fons largus aquarum ;  
 Si tamen hyberno non insidet humor ab imbre .  
 Jam terræ genus inspiciat ; nam creta liquores

Ingratos tenuesque dabit ; nigra terra saporis  
 Egregii lympham venâ stillabit egenâ.  
 Exiles , sed præcipuos dulcedine fontes  
 Glarea promittit : rubra inter saxa repertis  
 Nulla fides ; nam cœca per intervenia iursus  
 Dilapsi fugiunt , & spem frustrantur inanem.  
 Humor ab illimi qui defœcatur arenâ  
 Ubertate placet , dulcique sapore : salubris  
 E collis radice , gravis de pinguibus arvis  
 Unda fluet ; nisi sub terris exordia sumat  
 Vicino de monte : cavi nam montis ab alto  
 Vertice præcipitat se copia major aquarum.  
 Seu vacuis intus spatiis , vixtæque repenti  
 Sole niyes , pluviique imbres cogantur : aquarum  
 Quo velut hospitio fontes & flumina manant.  
 Seu pelagi terras ambit quæ lympha jacentes ,  
 Secretas agat usque vias mare subter & agros ;  
 Atque undam premit unda gravis ; fluctumque pro-  
     pellat  
 Fluctus , & occulto juga trudat in ardua ductu.  
 Humor ut in pannos sursum defertur ; ut alto  
 Fons è monte cadens , plumboque receptus , in  
     auras  
 Profilit ; & quantum primo caput extulit ortu .

Sublimis , rapido tantum petit aëra jactu.  
 Nam mare mobilibus ventis , æstuque diurno  
**C**um tumuit , liquidos tollens ad sidera montes ,  
 Oceani ripas , terrarumque ardua vincit ;  
 Subjectasque premens lympharum pondere lymphas  
**A**cta per inumeras terris sua flumina vēnas  
 Restituit , montes etiam librata per altos.

**S**eu posito velut igne , meri florumque calentum  
 Spiritus ad costas suprà frigentis ahēai  
 Hæret ; & in tenues facto fluit agmine guttas :  
 Sic qui multus inest sub humo calor abditus , un-  
 dam

Oceani terræ per viscera cæca meantem  
**C**alfacit , & sursum fumos emittit aquosos ,  
 Qui simulac vacui tetigerunt concava montis ;  
 Densatus vapor in tenuem se colligit imbrem ,  
 Qui gravitate suâ montis salebrosa volutus  
 Per latera ; hinc illinc venas rimatur apertas ,  
 Atque humiles juga per declivia fertur in agros.

Hinc aqua monte cadens levis est , eademque  
 salubris :

Scilicet è tenui levis est concreta vapore ;  
 Et per arenarum manans quasi cola , salubris  
 Efficitur ; purgatur enim tellure sub imâ ,

Quod vitii, quod fôrdis inest pluvialibus undis,  
 Quæ sursum licet in tenues è sole vapores  
 Educantur humo; retinent tamen indita labis  
 Semina; nec longùm durant, fœtæque venenis  
 Destituunt medio sítientes æquore nautas,  
 Cisternas ubi poshabitîs adiere fluentis.

Hæc autem dum cura tenet te prima, coëmptum  
 Emendare solum, fontesque accersere Ruri:  
 Interea meditare diu quâ parte domorum  
 Fundamenta loces; ductis ubi mænibus ædes  
 Lætior, & modico surgat mage commoda sumptu.

Vicinos fuge torrentes, & strata viarum  
 Publica; planitiem ne depopuletur apertam  
 Prædonum lasciva manus, vel tristis aquarum  
 Eluvies. Juvat & tacitas procul esse paludes:  
 Virus enim, morbosque palus eructat inertes;  
 Servatasque hyemi fruges, & agrestia longo  
 Inquinat arma situ: cœnoque creata tepenti  
 Armat in humanos stimulis animalia vultus:  
 Ranarumque greges limosâ educit ab ulvâ  
 Prisca coaxantes patulo convicia rictu  
 Qui recinunt, placidis gens infestissima somnis.

Nec lateat cæcas intra domus abdita valles:  
 Editiore situ malim per inhospita montis

Culmina , suspensos Aquilarum more penates  
 Institui , validisque dari ludibria ventis ;  
 Irriguâ villam quâm mergi valle jacentem ;  
 Quam longo sub colle , gravi torpere pruinâ :  
 Æstivoque , feros cum sirus evomit ignes ,  
 Sole coqui : nullis æstum solantibus auris.

Ergo locus nec erit sublimis , ut horreat austris :  
 Planior ut stagnet ; præruptus ut effluat : imâ  
 Vel sic valle latens subsidet , ut aëra laxum  
 Accipiat ; vel sic montem consurget in altum ,  
 Montis ut alterius defensus culmine , ventis  
 Non rigeat : sic planicie diffusus , ut imbre  
 Hybernos fallente queat deducere clivo.

Pinguis ubi molli sensim tumet edita dorso ,  
 Et tepidos tellus modicè deflectit ad austros ,  
 Nec tremulis rivus saliens procul obstrepit undis ;  
 Optimus ille domi situs est : hic atria , cellasque ,  
 Et stabula , & totos sulco describe penates :  
 Et ne præcipiti quid inemendabile pecces  
 Consilio : prostent operis primordia , toto  
 Quæ rigidus tecum censor dijudicet anno.

Ne fundus villam , neque fundum villa vicissim  
 Quærat : agro sit conveniens domus : ardua non  
 tam

Suscepisse

Suscepisse juvat , quam sustinuisse decorum est :  
 Turpius & cessat quo cæpta superbius ædes.  
 Quæ struitur domino major , gravioribus agros  
 Impensis domus absunt ; rursusque minora  
 Si fuerint tibi tecta , modus quām postulat agri :  
 Depereunt miserè fruges , matronaque cultūs  
 Munditiæque nitentis amans , non rustica tantum  
 Arma , ferosque canes , & ferramenta , sed ipsas  
 Ruris opes oculis amens non aspicit æquis ,  
 Splendida si damni quid cœperit inde supellex.

Quare age parcus opum laxos ut rure penates  
 Ædifices , villæ felicibus utere donis :  
 In manibus sunt & lapides , & inempta novandis  
 Materies tectis : sylvæ dant cœdua ligna ,  
 Queis lateres calcemque coquas : vel fossile terris  
 Eruitur , ripâ vel de propiore petrûm  
 Advehitur plaustris fabulum : quæ cuncta parabis  
 Nascentes prius incipiunt quam surgere muri.

Saxa trahant fortis hyberna per oria tauri :  
 Plurima vicinis opera ad fabrilia sylvis  
 Procumbat Platanus , metuendaque pondere Quer-  
 cus ,  
 Atque Abies opere in sicco durabilis , altaque  
 Ornus , & indocilis Fagus compage domari.

Populeas, lunâ jam decrescente, securi  
Aggrediere trabes: atque arbor ad usque medul-  
lam

Cum fuerit prope cæsa, suo patiere minacem  
Stare loco, venis ut noxius humor apertis  
Decurrat, plures & fabrica duret in annos.

Pinguis ubi regio ducendis saxa negabit  
Parietibus: lateres eundem cocturus in usum,  
Effodiat cretam figulus, quam purget ab omni  
Asperitate: lutum formis dein molle figuret,  
Et tepidas plano super æquore siccet ad auras.

Hoc peragat vel cum jam torrida p̄æterit astas  
Usque sub autumni finem: vel blanda tepentis  
Cum redit, & cælo durat clementia veris.

Namque repentinis æstate caloribus aret  
Summa cutis rimâ later unde fatiscit hianti:  
Nec gelido rursus siccatur creta Decembri;  
Nec tenet acceptam furno statuenda figuram.

Ipsa autem medio fornax calcaria luco  
Non intermissis accenditur ignibus, imâ  
Diffiliat dum parte lapis, fumosaque longo  
Flamma per obscurum non exeat aëra tractu.  
Sunt varii lapides diversos calcis in usus  
Quos fornace coquas: opera ad tectoria molles;

Structuris duri silices adhibentur. Arena  
 Egregia est compressa manu quæ stridet, & albis  
 Non maculas pannis, sordemque excussa relinquit.  
 Quod petitur salso pelagi de littore, muros  
 Corrumpit fabulum, nisi dulcibus eluis undis.

Hæc ubi per cumulos fuerint congesta, domorum  
 Crassa magis jacantur humo fundamina, muri  
 Quam super increscat corpus. Pedis unius altam  
 Sculpe solo formam, stabilis cum denique tellus  
 Ruderis occurrit sine suspicione soluti:  
 Ast ubi visceribus vel ab imis laxior usque  
 Eruitur tellus; quartam mersisse domotum  
 Sufficiat partem: quernos defigere palos  
 Tum poteris, lapidique gravi superaddere molem  
 Justa ministerio spatia ut laxentur agresti,  
 Tres juvat esse domos: communibus altera tectis  
 Quæ pecudes, pecorumque duces concludat,  
 agrorum  
 Altera quæ fructus capiat; tibi tertia surgat,  
 Cultior: à gravibus sit frons aversa procellis;  
 Ad medium stent membra dicim conversa, fenestras  
 Phœbus ut obliquâ transcurrat luce, per altum  
 Cum vehitur cælum; tepidas dein plenior ædes  
 Exhibaret: cum jam tenet ima, brevemque diurno

Circuitu contraxit iners per frigora lucem.

Non procul hinc aliam condendis frugibus ædem  
Sic statues, ut quæ loca sunt magis humida, vinum  
Accipient. Oleum tepidis, urendaque ficcis  
Ligna locis claudes, & quas præsepibus altis  
Quashyemi servas, gregibusque minoribus herbas.

Poma tenebrofis cellis quas frigidus aër  
Non subeat, tabulata super paleasque repones;  
Quò faciles habeas aditus, & poma revisas,  
Insincera manu tollens; nam mucor ab uno  
Serpit, & in tabulas latè contagia manant.

Grana fenestellis Boreas inspiret apertis;  
Nam madidis clausæ cereri Notus affricus alis  
Officiet. Sunt qui medio granaria vico  
Ædificant; ipsoque domūs in limine messes  
Infodian, pluvii securas imbris & auræ;  
Humor enim liquidus, cæloque volubilis aër  
Omnia perpetuo dissolvunt corpora pulsu.  
Gurgulio nocet imprimis, nisi murus amurcā  
Oblitus est: segetem si quando invaserit almam;  
Summa tenet cumuli, neque palmum nascitur infra  
Funestamque luem totis immiscet acervis,  
Ventilat exesas qui plena per horrea fruges.

Agricolæ sit laxa domus: sua cella Bubulco,

Sit

Sit sua Pastori , juxta pecus atque penates  
 Ut rāque : nec spatiis inter se diffita longis ;  
 Circume aī facili quæ villicus omnia passū.  
 Fundant se spatiis porrecta bovilia largis ,  
 Queis Taurus procumbat incis & ruminet herbas .  
 Nec stabulis pluvius nec ovibus influat humor ,  
 Quo pecorum mollis corrumpitur ungula ;  
 murus  
 Deperit ; & tristes ducunt animalia morbos .  
 Vel muris inclusa cavis , aut pendula tigna  
 Nullos incutiat fumosa lucerna timores .  
 Et procul à stabulis sub fornice villica panes  
 Excoquat ; accensas ne contignatio flamas  
 Accipiat ; totisque furant incendia tectis .  
 Ruricolas juvat imprimis spatiofa culina ;  
 Vespere , diverso domus ut collecta labore ,  
 Reficiat fractas vires , & corpora curet :  
 Nec seros operam tamen interrumpat ad ignes .  
 Post epulas hinc inde sedent , & grandis arator ,  
 Horridus & custos caprarum , oviumque magister ,  
 Atque lacertosus fossor , durusque bubulcus .  
 Avulsis si quæ ramis hæfere tenaces  
 Scēernunt Oleas ; detonsaque vellera purgant ;  
 Vel findunt lymphāque domant amerina calenti :

Vitibus aut acuunt vallos ; aut vimine lento  
 Conficiunt calathos : sua nec jucundius usquam  
 Agrestes videoas decurrere pensa Puellas.

Villicus accensâ nam dum face singula lustrat ;  
 Et clausas invist oves , numerumque recenset :  
 Nec pueros , timidamque patris præsentia natam  
 Continet illa bonum quem fingit amare Menalcam  
 Dulcibus aggreditur verbis ; stolidumque maligno  
 Illaqueat sermone , suos ut & ipse vicissim  
 Explicet , & rauco cantu testetur amores :  
 Speret & hinc laudem ; risum quoque ducat honori :  
 Atque jocos vecors non sentiat inter acerbos  
 Illudat nigro quod Thestilis improba succo ;  
 Et faciem conscribat . Habent nam pagus & urbes  
 Hoc hominum genus ad vulgi ludibria natum ,  
 Q uos impune pigri bovis instar acumine pungas ,  
 Quique sibi vel aperta inter convicia plaudant.

Æsculeis tectum pilis suspende domorum  
 Ante fores , sua quo defendat plaustra bubulcus ,  
 Et siccus pluvios operetur multa per imbres.

Si sit rure frequens iter & solemne , tabernam  
 Pone viatori : sed egenos excipe testis  
 Ipse tuis. Hominum quondam divumque parenti  
 Nomen ab hospitio veteres fecere , suisque .

Vilia dum latebris animalia somnus habebat,  
 Non hominem nudo voluere sub æthere noctes  
 Ducere : sed tecto donarunt hospite : necdum  
 Audierant inopum vili sub ueste latere  
 Numen, & humanis divina rependere donis.

Ne gravidas procul à villâ terat area messes :  
 Ut raptim frumenta domi male trita recondas :  
 Si subitus nimbis fallentibus ingruit imber.  
 Eligitur locus & sublimis , & arbore nudus ,  
 Ut lenem accipiat perflabilis area venium.  
 Illa vel ingenti tibi complananda cylindro :  
 Vel saxis ( opus æternum ) sternenda : flagello  
 Cedit enim tellus , atque interiore recondit  
 Mollitie Cererem , vel sorbet hiantibus ultro  
 Fissuris ; segetem mixto vel pulvere fœdat.

Sit piscina duplex ut maceret altera virgas ,  
 Et quæ rusticitas stagnis infundere pigris  
 Affolet : armentis pecoriique det altera potum :

Quæ stabulo verrent satiandis stercora terris ,  
 Et frondes nemorum sub frigora prima cadentes ,  
 Et limum , fluvii si quem incrementa tumentis  
 Respuerint , aqueâ domibus procul ingere fossâ .  
 Sic positus tepidis non adsiccatur ab auris ,  
 Et vires retinet simus ; assiduoque liquore

Intercunt, si quæ sint interjecta repositis  
Semina stramentis, nec pullulat herbida messis.

Proxima sint villæ pomaria floreus hortus,  
Et quæcumque placent oculis, quæcumque rapaces  
Invitant ad furta manus. Aquilonis ab ortu  
Sylva truces frangat ventos, & frigora tollat  
Umbriferis quæ deinde comis æstate redonet;  
Atque hyemes eadem nimiosque attemperet æstus.  
Palladiâ tepidi colles latentur Olivâ:  
Et planis latè segetem Ceres explicet agris;  
Vel longo fundant se prata virentia tractu.  
Hinc procul assurgant vites; oculosque morentur  
Camporum per plana vagos. Quot jugera prato,  
Quot segeti dabis, aut Oleis, vel Vitibus almis;  
Ex operâ reddituque simul metire, labori  
Componens fructus; & tecum mente revolvens  
Quanti vendideris, non quantum innascitur agro.

Quæ Cereri viña est humus opportuna ferendæ  
Sæpe redit manibus versanda; datasque reposcens  
Mutuat in semen fruges, neque perfida pactam  
Liberat usque fidem: seu messibus obfuit annus  
Siccior aut pluvius; steriles seu fudit avenas  
Terra ferax: dirâ fractis seu grandine culmis  
Procubuit, fluxisse seges stetit arida graniſ.

Et dubios Oleæ casus , Vitesque novellæ  
 Semper habent; nunc longa sitis, nunc aspera vento  
 Lædit hyems : nebulis nunc flos contactus iniquis  
 Emoritur ; tristique solum tegit omne ruinâ.

Non faciunt hos prata metus ; secura pericli  
 Diffusas cælo nebulas , Boreamque , Notumque  
 Accipiunt : frigus nec curant triste, nec æstum.  
 Pratensis minimum desiderat herba laborem ,  
 Et semel orta , suas , vix ullius indiga cultus ,  
 Fundit öpes ; reditu nec simplice ditat avaros  
 Agticolas : hyemi nâm fœnum arque annua fessis  
 Pascua dat Tauris ; armentaque lœra ruerur ;  
 Eximumque decus ridentibus adjicit agris :  
 Roscida seu flores intermicet herba rubentes ;  
 Seu jaceat prostrata solo; mollemque cubanti  
 Sufficiat thalamum temerè congesta ; vel alto  
 Accipiat sitiens ductos è tramite rivos ,  
 Atque novâ paret usque noyo sine semine messem.

Quare agite & dorso si non .decedat iniquo,  
 Præcipites neque fundat ager præruptior undas ;  
 Nec bibat humorem graciles imitatus arenas ;  
 Stagnantes neque contineat depressior imbres :  
 Jugera quanta patent, Medicam, Viciasque, Boum-  
 que

Gramina torpenti non injucunda palato

Spargite, dum liceat faciles immittere rivos.

Sed neque posthabitis Oleas an ponere pratis:  
Messibus an præstet, vel habendæ incumbere viti,  
Definire velim: veteres imitare locorum  
Agricolas: non omnis enim fert omnia tellus.

Ipse Garumna suo populos qui spectat in ortu  
Forcipibus massas chalybis tractare liquentes,  
Et montes aperire cavos; per opima volutus  
Pascua, vel pressis solidum lac cogere formis  
Agricolas videt, aut pomis instare serendis:  
Triticeas post hinc segetes, Miliumque beatis  
Demiratur agris; mox conspecturus utrisque  
Littoribus vites, quæsitaque vina Batavis.

**Quidquid erit, quamcumque tibi spem patiā  
tellus**

Fecerit; antiquos ferro ne dejice lucos.

Aspicis hybernum solo carbone Britanni

Quam malè dissolvant frigus; quam spiritus ægri  
Ducitur, infesto læsis pulmonibus igne.

Jam quoque nostra suis viduatur Gallia sylvis,

Ni caveant quibus est nemorum mandata potestas

Victrices pelago naves, ramosa calenti

Ligna foco, domibusque trabes, & aratra juvencis

Sufficiat lucus ; sed avorum munere salvas  
Tu quoque sylvarum transmitte nepotibus umbras

O ! ubi curarum requies , studiique levamen  
Frondosum nemus , & veteres quas nostra Tolosa  
Nutrierat sibi contiguas & Campania Quercus.

Flemus adhuc , atque hospitibus fœlicia quondam  
Monstramus loca , quæ villæ contermina luco  
Floruerant ; densisque rigent nunc obsita dumis.  
Ruris amatorem , qui perleget ista poëtam  
Heu ! nimium justo sinat indulgere dolori ;  
Et saltem meminisse , frui nos invida quando  
Fata vetant : mihi nam video spectare , renatis  
Arboribus , socios nemorum per opaca vagantes.

Secretis alii secum meditantur in umbris ;  
Atque alto leges divinaque dona revolvunt  
Pectore ; vel longo decurrunt murmure , sacrâ  
Pensa ministerii , pia vota precesque diurnas.  
Sub patulâ multi fessum latus Ilice ponunt :

Cantantes ille audit aves ; auditur & illis ,  
Voce suum modulans dulci vel arundine carmen.  
Hic gravibus somnos oculis admittit inertes ,  
Restituens , sibi quas studio subduxerat , horas.

Trudiculis ludunt alii : locus arbore nudus ,  
*c Prædium Collegii Tolosani Societatis Jesu.*

Cui circumpositæ præbent umbracula Quercus,  
 Eligitur ; sparsâ tellus firmatur arenâ ;  
 Quæque laborato præcluditur area ligno ,  
 Secta vias patet in quatuor : stat ferreus orbe  
 Annulus in medio , per quem si buxeus ullâ  
 Trajicitur sine fraude globus ; vel trâmite circum  
 Quadruplici fixas ultra detruditur oras ,  
 Victor eris ; totâ victor celebrabere turbâ ,  
 Sedibus hinc illiac gaudens quæ spectat ab altis.  
 Ergo levi quibus est animus concurrere pugnâ  
 Brachia ferratis armati fustibus adsunt ;  
 Atque globos , valido sylvis resonantibus ictu ,  
 Percutiunt ; animosque levant exercita duro  
 Membra fatigantes ludo . Nec amore legendi  
 Sylva vacat , quamquam recreando nata labori .  
 Non alibi vates propriiori numine Phœbus  
 Afflat ; & ad populum cui fandi copia , fagos  
 Agrestes inter nemorumque silentia , discit  
 Magna loqui sonesque tonans inflectere mentes .

Hic ego te lauro cinctum parnasside vidi  
 Clerice , d fælici meditantem pectine versus ,

d Id in Academiâ Tolosanâ constitutum est , ut  
 qui tria præcipua præmia tulerit : inter Academicos  
 operumque judices annumerari possit ; quæ laus uni  
 P. cleric. S. I. hactenus obtigit.

Quos

Quos mirata diu , cum jam nequit amplius  
auro

( Post exhausta tibi sua munera ) laude Tolosâ  
Donat ; & aoniis te cœtibus inserit unum ,  
Muneribus reliquos decoret quo judice vates.

Dicentem cupidâ suspensus ut aure bibebam  
Sive sophoclæum , nemora inter opaca , cothurnum  
Indueres : lepidos , positâ gravitate , Terenti  
Sive jocos patrio reddens sermone referres  
Torrentis seu more ruens , Cicerone tonares ,  
Autumno quoties medio dicturus , amœenis  
Delicias agris rapiebas ; atque disertos  
Tectosagûm proceres , neglecto rure , vocabas ;  
Desertamque suis donabas civibus urbem .

Et mihi sylvestrem memini , quos primus ad  
umbram

Addideris stimulos dubitanti prædia versu  
Scribere : gaudebas lucos aut ire per altos ;  
Castaneâ vel sub veteri confidere mecum :  
Fons ubi sic tremulam , zephyris motâibus , umbram ,  
Castaneasque nuces , & quæ super arbore sidunt  
Instabiles imitatus aves , specularibus undis  
Exprimit ; ut dubites an eandem fonte sub ipso  
Creverit in faciem ramis fœlicibus arbor :

An volucres alat unda suas ; levibusque volantes  
 Aëra num pennis tranent ; vel flumina nantes  
 Summa secent ; virreas an imago supervolet undas.  
 Fontis ego tibi saxe meos in margine versus  
 Cum legerem ; limâ mordaciter usus amicâ  
 Scalpebas patiens opera imperfecta ; tuuimque  
 ( Latius effundes proprio quod carmine ) nomen  
 Si taceant quos te fingo censore libelli ,  
 Ingratus videar ; mihi nec satis æquus , amicum  
 A teneris nisi conjunctum te glorier annis.

Tuque Capistronides animæ pars altera nostræ,  
 Hic plausus , hic illam inter quercta parabas  
 Nobilis ingenii famam ; quâ , sive cothurnum  
 Æmulus assūmis fratnæ laudis ; avenâ  
 Sive canis cytharâque ; tuo seu profuit ore  
 Majestas romana , lepos vel gallus ; utroque  
 Et latio patrioque potens sermone , senatum  
 Purpureum trahis , & populos te civc superbos.

O ! ubi nunc virides umbræ , tacitique recessus ,  
 Qui tantos aluere viros ; instaret acerba  
 Cum jam penè dies perituris ultima sylvis ,  
 Proh ! quali tonuit parnassia murimure rupes .  
 Sed quid inhumanas contra potuere secures  
 Carmina ; threicio quamquam non segnius Orpheo

Plurimus argutā sylvas testudine vates  
Moverit; aoniis jam non aurita poëtis  
Obsequitur Quercus: sed, quod licet, icta bipenni  
Congemit; & quā voce potest, quos s̄epius umbrā  
Fovit, ad auxilium vocat emoritura sodales.  
Venimus; ac veluti data post certamina, campo  
Cum jacuere duces, atque inclyta nomina letho  
Perdita, secreto tristes horrore movemur;  
Liventis plagas, fluidoque cadavera tabo,  
Oraque cernentes patulo deformia rictu:  
Idem omnes nos sensus habet, cum grandia quon-  
dam,  
Victrique jam ferro, querceta jacentia terris  
Aspicimus, frondesque, recisaque brachia truncō  
Sepositis pallere locis, flammisque parari.  
Heu! quantus, nemore avulso, decor excidit arvis:  
Quam sibi dissimilis Campania. Rebus in artis  
Pauperies urgens quæ vastam excindere sylvam  
Suasit; & in belli sumptus impendere ruris  
Delicias, eadem cultūs inimica decori  
Cogit agros servire lucro: nam vomer avarus  
Antiquæ turrita domūs vel mœnia pulsat:  
Et seges est, ubi se spectabilis ordine pulchro  
Fuderat Vlmorum series: quæ sitaque longè

Rarior æstivis emitur nunc solibus umbra.

Non Buxos, humilemque Pyrum tonsura coēret

**A**nnua: sed fusis sine lege per aëra ramis

Ire sinunt: & qui flores & oluscula nobis

Sufficiebat, equis nunc hordea parturit hortus.

Repit, & ingenio jam liberiore per omnes  
Lympha vagatur agros, quæ pressa canalibus olim  
**A**ltius in varios erupit Iudicra jactus.

Miris torta modis tunc ibat ab ore Leonum,  
Phocarumque fluens: nunc rustica tota Fasellos  
Irrigat aut miseris Caules; & in ore Leonum  
Phocarumque suas vel tendit aranea casas;  
Aut intus ponit luteos avis hospita nidos.

Alveus herboso sinuosus margine quandam  
Jactibus, & longo fessas errore viarum  
Excipiebat aquas: & circum picta phasellos  
Prata vehebamur, vel edaci subdola pisci  
Retia tendentes: vel aquarum frigore, & umbris  
Vitantes nimios frondente sub arbore soles.

**C**ymbula crediderim, venalibus addita lignis

**C**um Quercu visit tristes urenda caminos:

Trutaque fluctuolas inter pulcherrima pisces;

Littora quæ nobis ad nota sedentibus olim

Adnabat, molles fructus, servataque panis

Fruſtula

Fruſtula mendicans oculis, caudāque trementi,  
 Cefſit aquis, ranæ linquens habitanda loquaci  
 Flumina; nam fœdo jam pīſcis honestior alveo  
 Non agat indecorem glaucā sub arundine vitam.

Et sua Gallinis fōtentibus atria pulcher  
 Concessit Pavo: villæque nitentis amantes  
 Excessere ſimul triplici de turre Columbæ.  
 Nos & agri teſtes ſqualleſtis, & illius olim  
 Qui fuerat memores, aliò migremus: in illâ  
 Sorde jacens niſi vicinas Campania villas  
 Exſuperet: mirum nam vel populata decorem  
 Servat adhuc ruris facies; naturaque cultum  
 Supplet: & invitis dominis tamen uſque placebunt  
 Et fera ruficitas, & qui vetus hactenus horror  
 Incubuit; noſtris nam cedere viſa querelis  
 Rura ſibi priſcos tandem meditantur honores.

Hæ ſunt, Lamonide, quales defideret emptor  
 Neglecti decoris villas: quas una beato  
 Dives opum fortuna ſitu, venæque perennis  
 Fontibus, & pingui ditaverit ubere tellus.  
 Jam qui noſſe velit quos pinguibus inſuper Hortis,  
 Quos & aquis, domibusque potest ars addere culius,  
 Que tu Curſonio poſuisti prædia fundo,  
 Viſat; opesque ſoli, flores, pomaria, ſylvas,

Atque aditus, & testa domus, operumque magistrum  
 Et moderatricem stupeat per singula mentem.  
 Tædia longa viæ non carius empta putabit,  
 Seu procul obtutu stet contemplator in uno;  
 Atque avidis primos oculis delibet honores,  
 Deliciasque loci: sive atria prima domorum  
 Intret; & incertus naturam laudet an artem  
 ( Utraque nūque loco pariter sibi complacet uno )  
 Nunc ipsas ædes, nunc rura patentia circum  
 Prospiciat. Juvat imprimis in imagine vivum  
 Marmoreum, dicamne tuum populive parentem  
 Aspicere; & tacitam secum pietate vereri  
 Muta vel ora, quibus se s. sapientia terris  
 Exhibuit regnoque dedit Themis arbitra leges:  
 e Auspice te priscae fuit olim reddita laudi  
 Quæ docet ars niveo ductos è marmore vultus  
 Reddere, vel vivo pictos animare colore.  
 Illa tuam seris faciem transmittere seclis  
 Cogitat officii memor; at tu sculpta parentis  
 Ora manere tui mavis: & marmore quamquam  
 e Bavilleus utriusque artis immunitates apud  
 amplissimum ordinem patrocinio præclarè defendit;  
 & grati animi monumentum sibi nuncupatum opti-  
 mo parenti consecrari maluit.

Duratura magis , monumentis non eget ullis  
 Fama viri ; gaudes huic poni , quale tabellis  
 Quale decus saxis numquam manus addidit : cādem  
 Ut quā majestas patrii spiraverit oris ,  
 Æternū nati pietas in imagine duret.

Cātera quid memorem quæ se miracula passim  
 Objiciunt ; pedibus seu rura beata sequamur  
 Aut oculis ; quos ipsa loci natura , vagantes  
 Ne lasset spatiis , colles utrinque supinos  
 Obiicit aut Baccho virides , vel messibus albos :  
 Et mediis , quantos possunt lustrare tuentum  
 Lumina , cogit agris toti quas parcior orbi  
 In populos partitur opum compendia tellus.  
 Non alibi , tumido sine fastu , tanta domorum  
 Majestas ; non ille nitor cum simplice cultu ,  
 Non querni nemoris par umbra , paresque recessus ,  
 Nec similis decor , ubertas , & gratia tonsis  
 Arboribus , neque tam bellè Ficusque Pyrique  
 Applicitæ muris : illo non ordine flores  
 Digesti ; reliquis non sic olus emicat hortis.  
 Te quamvis absente procul , flos omnis & arbor  
 Luxuriet , niteatque minus ; nam quale locorum  
 Te desiderium tenet : eisdem prædia votis  
 Te repetunt. Sint hæc illis solatia , natum

Quem tua sectantem vestigia , munere gaudes  
 Penè parem ; & meritis non inferiora sequentem  
 Cursonium spectare ; viri mollire labores ;  
 Et saturare suos in imagine patris amores.  
 Tuque parisiaci qui ruris amore teneris :  
 Desine , blanda licet , loca velle revisere : regi  
 Nec populo furare datum te munus amico  
 Divum consilio. Natas in publica mentes  
 Commoda sepositis scelus est sibi vivere curis.





*II. Lib.*



*L.M. Dumesnil d.*

*J.E. Cars f.*



## P R A E D I I

## R U S T I C I

## L I B E R I I .

**N**unc age , qui servis melior delectus ha-  
bendis

Exequar ; & quoniam sulcat qui rectius agros ,  
Utilius colit ; imprimis tibi quære Bubulcum ,  
Quem pecudes atrocem habitu , non indole fæcum  
Formident : nervosa viro sint brachia , vultus  
Terribilis , sed blanda manus , plenusque minarum  
Verbera difficii non addat dura labori :  
Sed resono terrens clamorum hortamine , vaistâ  
Voce magis , quam vel stimulo plagisque fatiget ,  
Si rurale boves opus , imperiumque recusent ,  
Confundantque vagos sinuoso limite sulcos .

Ne brevior sit forma Ypsi : procerus arator

H

Sulcandos stivæ innixus cava<sup>t</sup> altius agros;  
 Et duras nisu rumpit leviore novales:  
 Ac simul ingrediens per agri proscissa, juvencis  
 Altior, extremas oculum collimat ad oras;  
 Vulnificum procul à teneris deflectit aratrum  
 Arboribus; lentoque juber procedere passu,  
 Si qua solo jaceant, quibus obluftata moveri  
 Collaboum possint, allisave cornua frangi.

Norit & agrorum mores, & tempus arandi;  
 Ne siccum recludat humum, vel ab imbre lutosam:  
 Nam sterilem moto cum pulvere succus arenam  
 Deserit; & magnis ubi vertitur humida tellus  
 Cœspitibus, toto manet intractabilis anno  
 Gleba tenax, validis nec deinde domatur aratris.  
 Pinguior hybernos campus qui continet imbres,  
 Vere sub extremo jam siccus arbitur, herbas  
 Cum tulit injussas quarum mala semina nondum  
 Messis in exitium siliquis fluxere solutis.  
 Nec mora transversis iterum secet æquora sulcis:  
 Pendentes eadem neque per vestigia colles  
 Prosubigat; sed agri nunc in declivia Tauros  
 Dirigat; & glebas rursum moturus, aratrum  
 Veritat; & obliquo declinet in ardua fulco.  
 Sublimes ut eant speciosius inter arandum

Altâ fronte Boves ; neque tanto pinguia nisu  
 Rura secent , loro septemplice jungat arator ;  
 Cervicique jugum non cornibus illiget : ipso  
 Plus etenim collo pecudes , & pectore possunt  
 Quam capite & cornu : toto nam pondere , totâ  
 Nituntur sic mole : secus cervice retractâ  
 Sudantes malè torquentur , colloque laborant ;  
 Atque levi summam proscindunt vomere terram ,  
 Attritos autem manus officiosa Bubulci ,  
 Propellens hinc inde jugum , refrigeret armos ;  
 Ne damnosa tepens invadant ulcera collum .

Vespere disjunctos ab aratro fonte juvencos  
 Arceat ; & saturis abigat præsepibus , artus  
 Dum fluido sudore madent : spumantia tantum  
 Vina lubens ori defundat ; & humida fæno  
 Colla fricit ; costisque manu detergat amicâ .

Agricolæ concors labor est oviumque magistrî  
 Et quamvis studia in contraria sæpe fe:antur ;  
 Atque Bubulus amet puros à gramine campos ;  
 Hamatisque rubis fugiens loca consita Pastor  
 Herbosos sectetur agros : nonnulla laborum  
 In tam disparibus tamen est concordia votis .  
 Alter arat ; camposque simo juvat alter ovillo :  
 Servit agro pecus , & pecori dat molle vicissim

Gramen ager : neque rura vigent , si densus egenti  
Grex domino , vel opima gregi si pascua desint.

Romulidæ quondam proceſes quæ fortiter armis  
Quæſierant , ipsi ſubigebant arva : colonos  
Nec ſemel avulſos ab aratro Roma vocavit ,  
Imperiis gravidam regerent qui legibus urbem ;  
Ac poſtitis iterum fulcarent fascibus agros.  
Subdiderant cui colla duci famularia gentes ,  
Lætus aratori Taurus parebat ovanti :  
Ipsaque laurigero versari vomere gaudens  
Terra triumphalis ſuperabat vota coloni.

Si ſacros tamen annales , commentaque vatuum  
Audiero , primâ repetens ab origine mundi  
Res hominum vitasque : greges ſervare paternos  
Nobilius viſum eſt olim , quam vomere terras  
Exercere graves : fulcisque repoſcere fruges .  
Aurea namque ſub hæc mundi primordia , regum  
Progenies veneranda , pedum præludia ſceptri  
Pastorale gerens : ovium moderamine blando  
Subjectos quondam diſcebat habere benignis  
Imperiis populos : nec opes crudelius , iſtar  
Velleris , ad vivum reſecare : ſuperflua tantum  
Sed leni tondere manu : lac ducere preſſis  
Molliter uberibus , non emulgere cruorem .

At vacua incultis ut erant tunc omnia terris,  
Tutaque pastores peragebant otia ruri;  
Non tantum didicere vago quæ pascua profint,  
Quæ pecori morbos, & quæ ferat herba salutem;  
Flammigerò norunt primi labentia cælo  
Sydera; transversum mundi revolubilis axem,  
Et geminos sensere polos; soleisque sequuti  
Nominaque & numeros signis fecere, volentes  
Ut pecori & stellis aries dux esset; & idem  
Cælo, qui stabulis armenta, reduceret annum.  
  
Illi adeo volucres imitati voce canoras,  
Dulcibus inter se primi concentibus auras  
Implerunt; calamos etiam fecere loquaces,  
Quos pice vel liquidâ plures conjungere cerâ,  
Et numeris dare verba, pedesque affingere verbis  
Instituere: modos, pastoralemque cicutam  
Nunc etiam yates adhibemus, ut otia ruris  
Tranquilloisque dies, castumque canamus amorem.  
  
Proh! rerum versæque vices, & degener ordo:  
Si quis iners servos inter stolidusque, regendos  
Accipit ille greges; nam quæ vel Apolline quondam  
Credita digna deo est, hominem non vita deceret  
Ingenuum: quod erat patribus regale, nepotes  
Munia penè locant infra servilia, tantum

Rebus in humanis & mos & tempora possunt.

Hac hominum de fæce , virum tibi felige frugi

Qui magis ingenio placeat quam corpore , primis

Qui curare greges , & pascere norit ab annis ,

Urbanasque puer non sit formatus ad artes ,

Atque juventutis primæ transcenderit annos :

Non senior tamen , ut gregibus per opinia sequendis

Pascua difficultis , propioribus erret in agris :

Et vix stare potens , molli resupinus in herbâ

Membra resolvat : oves oculorum namque requi-  
runt

Sublimem veluti speculam : ne si qua moretur ,

Aut gregibus præcurrat , agris vel deeret apertis ,

Hanc nemorum latebras Lupus infidior in altas

Ducat agens : tenet apprensam fur mordicus aurem ,

Atque renitentis clunes , uterumque flagellat

Verberibus caudæ repetitis . illa remotum

Longius heu ! querulo frustra vocat ore magistrum .

Pastoris pecorumque canis comes adsit & ulti ,

Observerque foris armenta vagantia fidus

Excubitor , stabulumque domi : furemque laceffat

Dente , vel horribili latrator voce repellat .

Si quid habet Pastor nimiæ feritatis , agendis

Præficitur Capreis . Velox idemque laborum

Sit patiens, audaxque sequi per inhospita **Capras**  
 Culmina reptantes. Mitissimus indole mites  
 Ducat, & herbosos lentè placideque per agros  
 Pascat oves, pigras stimulans, properasque coërcens.  
 Quæ procul à stabulis partu resoluta recenti  
 Segnis humo jacet; & pedibus consistere, rectis  
 Non valet: hanc humeris tollat; tremulamque  
 tepenti

Admoveat gremio sobolem, monstruetque parenti.

Morborum sciat & causas, usumque medendi:

Nec lateant cæli mores & opima locorum

Fertilitas: norit quâ tempestate resectis

Velleribus nudabit oves: quo tempore pastum

Exiget: & saturis fontes præbebit amicos;

Quæ placeat magis herba gregi: nam pascua succum

Carnibus & pretium lanis quoque mollibus addunt.

Ne pecudes procul à stabulis producat alendas,

Vicinum cum fortè Grues clangoribus imbrem

Aëreâ de nube vocant: sitiensque cruoris

Musca rubescentes proboscide mordicat artus:

Deductisque Boves olfactant naribus auras;

Atque Apis excursus metuens, alvearia circum

Mussitat: & vento sibi colludente recurvos

Volvitur in gyros folium; sinuosaque torto

Flamma volat plexu; geminoque bibacior arcu  
 Sugit ab oceano quo depluat Iris in agros.

At neque vere novo reserabit ovilia Pastor,  
 Ante pruinosam quam sol deterserit herbam.  
 Mox ubi lethiferos accendet sirus ignes,  
 Bis eat ad pastum : pecori cum rosida manè  
 Dulcior herba ; suos & cum rediviva sapores,  
 Atque novas capient à vespere gramina vires.  
 Phœbus enim medio cum jam furit igneus orbe ;  
 Languidaque exsuccas vix sustinet herbula frondes:  
 Umbriferâ tum valle pecus , pecorisque magister  
 Insanos vitent frondente sub arbore soles.

Pascendo tenues hunc si cognoscere curas  
 Non piget: occiduum , stabulis egressus , ad orbem  
 Pellat manè greges , & vespere solis ad ortum:  
 Ardor enim nocet armentis , si prona vagantum  
 Sint ovium capita adverso contraria soli.  
 Sævior errantes emissi dente Molossi  
 Non revocet , nec saxa ferus stridentia mittat:  
 Sed clamore premens , rauco de gulture notas  
 Irato similis voces & sibila fundat.

Dum campis æstate greges stabulantur apertis:  
 Fronde super viridi recubet , custode Molosso ,  
 Prima nec Iautumni formidans frigora Pastor  
 Praetextat

Prætexat pecoris curam : nudoque recuset  
 Sub jove frigidulas mollis traducere noctes.  
 Illo namque fimo , pecorisque tempore cubantis  
 Plus gaudet , quām si plenis satiata canistris  
 Stercoris advectos tellus absumat acervos :  
 Et medium vel ad Octobrem nocturna sub astris ,  
 Velleris auxilio tutus , grex frigora durat  
 Incolumis : glacie nisi præmatura rigenti  
 Sævit hyems ; sparsis canet vel terra pruinis.  
 Tunc domibus clades pecus ; indormire nivali  
 Nec patiere solo ; nec adustam segniter ipsa  
 Sub nive rimari gelido pede graminis herbam :  
 Sed vicias saturisque dabis præsepibus Ervum ,  
 Et frondes fœnumque ; pecus ne tentet ovillum  
 Dira fames : nam cum macies semel occupat artus ,  
 Horrida mox scabies deformat ; & arbore costas  
 Impatiens deterget ovis , vel scalpit aduncis  
 Cornibus ; aut morsu , flexâ cervice , cruentat :  
 Unde cutem latè fundit se pestis in omnem.  
 Hæc obeunda vagis Pastoribus , atque Bubulcis .  
 Quæ vites & olus spectant , & cætera ruris  
 Officia , ulterius dein commemoranda , colentum  
 Villicus ingeniis accommodet , atque lacertis .  
 Namque viro vir ut differt ; nec in omnibus ille e⁹

Corporibus vigor , & præsens in pectore virtus :  
 Sic varia est agri quoque disciplina colendi.  
 Postulat hæc validis sociatam viribus artem :  
 Hæc plus artis habet quam roboris, altera mentem  
**C**onsiliumque : meras desiderat altera vires.

**R**ejice quæsitos opera ad graviora colonos  
 Protinus exhaustis efflant qui viribus : agros  
 Segnius effodiunt : occultâ fraude relinquunt  
**C**rudii aliquid : terræ nec ad intima viscera tendunt :

**N**ervosos Olus agricolas gnavorisque requirit ,  
 Qui variis norint accommoda semina terris ,  
 Arvaque perpetuo renovanda ligone fatigent ,  
 Nata recens cultu foveant arbusta ; futuro  
 Provideant : neque præcipitent , rursusque putando  
 Perstringant nimirum ramos : lætamine truncos  
 Fœcudent steriles , atque infitione feraces  
 Nobilitent : domini rem curent parciūs : uni  
 Nec studeant famæ , sed habendis fructibus : ætas  
 Sit media & robusta : senes ignavia tardos  
 Efficit agricolas : inconsutiosque juventus.  
**N**on Olitor placet ille , novas jactantior artes  
 Qui sermone magis , quam re commendat : eorum  
 Quæ fecere alii nihil approbat : omnia mutat  
 Divellitque : novam faciem , nova semina terris

Inducit, nec tām reparat quām destruit hortum  
Spe dominum pascens, neque mensam fructibus or-  
nans.

Sed velut in magnis spes & victoria bellis  
Pugnantūm non stant animis numeroque virorum,  
Ductor ubi nullā fortis regit arte catervas :  
Sic tu rure parūm famulorum examine multo  
Proficies : nisi dux vires & brachia rectis  
Temperet imperiis. Nequam tibi Villicus agros  
Emaciāt : nocuo sylvas arbustaque ferro  
Persequitur : malē pascit oves, oviumque magistros.  
Incustoditi per mollia prata vagantur ,  
Lētaque proculcant Tauri frumenta ; rapinis  
Arva patent adaperta: manus neque continet ille  
Cujus erat fures avertere : poma , nucesque  
Clam legit : & domino plus seminis imputat, arvis  
Quām dederit ; totas neque mittit in horrea mēssas  
Sumptibus extenuat fructus ; incultaque vītis  
Hinc horret tamen hirta rubis : hinc junior arbos  
Deficiente perit lymphā: siccusque novellā  
Pro Platano stat palus humi ; vel pendula ramos  
Dejicit ; & baculo primis non fulta sub annis  
Planta manet contorta, truci vel frangitur austro.  
Hanc flexā cervice videt nutare ; gravique

## 52 PRÆDII RUSTICI

Verrere fronde solum ; nec opem dignatur amicam  
 Ferre laboranti. Sed iners graviora Colonus  
 Damna facit , miseris dudum si præsidet arvis :  
 Ipse adeo fructus passim dilabitur : ipsi  
 Depereunt fontes : sterilescunt prata ; jacentes  
 Destituit colles humus ipsa , trahentibus undis.  
 Atque ubi post aliquot villam infamaverit annos ,  
 Litem pro pactâ ruris mercede relinquit.

Fortunatus ager furto quem liber ab omni  
 Villicus exerceat : longo quem novit ab usu ;  
 Cui patrio quasi jure præest : atavosque colonos  
 Ejusdem numerat fundi. Non junior ætas  
 Præcipitem faciat , neque pigrum effœta senectus.  
 Namque senile licet moderandis congruit agris  
 Imperium , juvenumque manus , tamen usque re-  
 pugnant

Obsequio famuli : seu junior arva gubernet ,  
 Sive senex : alius quod non bene præcipit ; alter  
 Quod nihil exequitur : nam plus exempla jubentis  
 Quam præcepta valent , & ruris in arte colendi  
 Si sapiat plus servus hero , malè iussa faceisset.  
 Quem non prima rudem , ætas <sup>non</sup> ultima fractum  
 Arguerit , vitæ mores operumque laborem  
 Instituit : totum curas extendit in annum ;

Et quid quāque die peragendum, vespere jam tum  
Præmonet, ante thoro famuli quām mēbra reponant.

Ultimus it cubitum, concusso cardine, postquam  
Vidit utrum contra nocturnos ostia fures  
Sint munita satis; num quique armenta magistri  
Ad sua pernoctent: nova num stramenta, cibosque  
In longas habeant curata bovilia noctes.

Impiger ad primos Galli consurgere cantus,  
Non patitur lento ad opus procedere servos;  
Sed jubet, instantis velut ad certamina belli,  
Fortibus ire animis: viresque accedit eundo.  
Semper adeat, oculosque vigil per singula volvēns  
Urget opus: pigros dictis castigat acerbis  
Agricolas: laudat fortis, operumque peritos;  
Et placito longum recreans sermone laborem.  
Vix operam phæbumque finit sentire cadentem.  
Si quis erit quasso languent cui corpore vires,  
Succurrentis adhibet fomenta; domumque remittit:  
Præstat enim soles aliquot requiescere servum,  
Quam si dura ferat longos incuria morbos.

Dat sine fraude dapes; operique cibaria duro  
Respondere jubet, nec avarus pocula tristi  
Miscet aquā; nigrō famulos nec furfure pascit:  
Durius esse putans & iniquum, munera vitæ

Communes quæ terra parens largitur in usus  
 Deesse viris quibus ipsa suas exercita tellus  
 Debet opes. Mensâ interdum dignatur herili,  
 Consilioque bonos adhibens, quæ semina terris  
 Optima, quæ vitis melior cultura, requirit.

Temperat imperium clementia: latus ad iram  
 Verberaque, ignoscit famulis: mavultque caeret  
 Ne peccent, meritis fontes quam plectere pœnit  
 Injecto nonnulla metu, sed plurimâ sanctis  
 Moribus emendat, vigilique labore; fideles  
 Nam facit ipsa frequens operarum exactio servos:  
 Et vetitis animum prohibet succumbere culpis,  
 Sedulus exercet jugi qui membra labore.  
 Latius hinc magnas, pagis ignota, per urbes  
 Grassatur scelerum facies: quod in urbibus alta  
 Desidia est, operumque quies; morumque magister  
 Optimus, agricolas curis labor urget honestis.  
 Villicus exemplo prædit ipse, ducemque sequuntur;  
 Et famuli morum testes, sociique laborum,  
 Non adjutores, ut in urbe, libidinis adsunt.

At neque cessat opus, ruptis ubi nubibus imber  
 Largior agricolas tenet intra tecta: lavari  
 Dolia, purgari villam frumentaque, funes  
 Sarciri jubet, & stabulo fumosa canistris

Stercora deferri, rastros & aratra parari,

Lignaque flammigeris findi majora caminis.

Non hominem vano sermone moratur Aruspe

Non focus, & nugæ fabrorum, hederæque fenestræ

Appensæ, fervensque malo rumore popina

Nam famæ rebusque suis inimica colonus

Vina fugit: non ille jocis nec amoribus ullis

Deditus est: aliisque, ab agrorum munere mentem

Non habet aversam: quod enim quis diligit, unum

Cogitat, & toto curarum promovet æstu.

Non avidas visco laqueisque tenacibus auceps

Fallit aves; tacitasque canum clamore fatigat

Venator sylvas. Operosum cura Colonum

Sollicitat melior, fugitivum tempus inani

Quam terat ut studio: leporesque sequatur; &  
almam

Negligat interea segetem, vitesque colendas.

Oppida rarus adit cum res & commoda poscunt

Tempora, servatas fruges ut vendat, ovesque

Morbosas, vetulosque Boves, & vellera lanæ:

Ut vestes emat, instanti jam frigore, quæ sint

Auxilio sibi, non oneri: duramque rigentes

Ut pueros hyemem contra præmunit; ipsamque

Utiliter sponsam non cultè vestiat, auti

Parcus, & urbani metuens contagia luxūs.

Et quamvis ( quos rure frequens accersit in urbem  
Mercatus ) de messe magis roget ille Colonos ,

Quām qui magna vagis rumoribus oppida cōplent;

Nosse tamen juvat invicti quām prospera galli  
Bella gerant ; avido referat quæ nuntia pago.

Dein modium salis , atque infecti pondera ferri

Quo faber obtusi dentem producat aratri ,

Et solidam nigræ massam picis , atque ligones

Comparat , & curvo lunatas tergore falces ,

Runcunesque , quibus sequitur vepreta , secures

Cultelloisque , novā queis arbore tollitur arens

Sarculus aut extans ; tonsoria , quæque dolentum

Ferramenta Boum spectant oviumque salutem.

Nil emit illorum quæ vel nascuntur in agro ,

Vel fieri possunt : non lento vimine corbes ,

Linaque , & agrestem tortā de cannabe telam ,

Non ocreas è pelle , quibus defendat acutis

Crura rubis : ut enim vendax dicescit ; emacem

Haud secus agricolam miserabilis urget egestas .

Scripturæ rudis & rationum , s̄epius affert

Ad dominum pactos , quām scripta volumina ,  
nummos :

Atque illo veniente , timor nihil arguit intus ;  
Disciplina

Disciplina domi viget inculpata ; forisque  
 Cuncta nitent bene culta : Boves armentaque recte  
 Pasta : novus limes , nova non sit semita campis :  
 Non hortus , non prata siti morientia languent :  
 Surgit opima seges : defensi sepibus agri  
 Vel ductâ circum fossâ clauduntur : herumque  
 Villicus agrorum partes deducit in omnes ;  
 Exultatque animis , illo laudante , suumque  
 Nemiae vicinos inter culpante laborem.  
 Et quamquam procul absit herus , commissa Colonus  
 Nil minus arva colit. Sic Trojæ eversor Uliſſes  
 Cum tetigit patrios post mille pericula portus :  
 Ædibus ipse suis admittitur hospes , inertis  
 Mentitus senio faciem , nec cognitus ulli.  
 Unus erat qui , res magno turbante tumultu ,  
 Eumæus dominum tristî sermone requirens ,  
 Curandis instaret agris : ac multa doleret  
 Quod fœcunda procos alerent armenta rapaces ,  
 Atque suo tellus non fertiliſſis effet Uliſſi.

Provisor non multa rogat , multisque vicissim  
 Credit : & ingratas sibi non male comparat ipsis  
 Muneribus lites . aliena negotia vitat :  
 Nec nisi quæ domini , sua credit : operta perhorret  
 Furta ; siue tenax , alienis abstinet : æqui

Sic rigidus custos , ut famosissima pagi  
 Jurgia componat judex : ignaraque legum  
 Non recti justique , fecet prudentia lites.

Ille suos hominum fortunatissimus agros  
 Diligat, obscuro positus qui rure Colonus ,  
 Exiguus votis , parvoque assuetus , edaces  
 Et curas & spes animo non pascit inani.  
 Non hunc sollicitat dominandi sæva libido ,  
 Ut leges alibi cupiat quam rure , suisque  
 Arboribus dare : non amor irrequietus habendi,  
 Nummos , atque metus ut in una congerat arcâ :  
 Non studium , fastuque tumens doctrina superbo ,  
 Ut quid scire velit quam recte vivere : pastos  
 Quam curare Boves : quam nosse faventia terris  
 Sydera , ventorum mores & tempora messis.  
 Ille nec invidiae patet , aut livore vicissim  
 Carpitur occulto , nec jam popularibus auris  
 Evehitur : subitoque ruens nec denique casu  
 Monstratur fragilis monumentum triste favoris.  
 Non metuit regumque minas , sortesque severi  
 Judicis , indomitas animæ non vindicis iras.  
 Non alios , non se timet ipsum : non sua mœror  
 Gaudia , non epulas fastidia lenta sequuntur.  
 Agrestes operas obit indefessus : humoque

Semina nunc mandat , nunc debita dona reposcit:  
Inde vigor membris , & corpora sana diurnis  
Hinc dapibus sapor est , & parta labore voluptas:  
Inde quies , somnique , thoro quos dives ab alto  
Nequicquam profugos invitat : utrinque vicissim,  
Plumea strata super , curas & membra volutans.

An trucibus , ruptio naturæ födere , ventis  
Præstat , & irato sese committere ponto:  
Atque alio , volucrum ritu , sub sole jacentes  
Ire redire plagas: an fortunatius urbem  
Quis colit , & circumvolitans ingrata potentum  
Limina , vel servis ipsis blanditur : emitque  
Imperium misero famulatu : perque pudendum  
Dedecus , ad summos iter investigat honores.  
Vendere num satius clamorem ; operâque forensi  
Insontes unâ defendere voce reosque :  
Causidici vel ad arbitrium rixantis , acerbis  
Affigi soliis ; alienaque jurgia propter  
Privatis animum & tempus subducere rebus.  
Crudeli pietate datis num credere nummis  
His etiam invisum quibus auxiliabere fœnus:  
Aut ex militiâ prædam cepisse cruentam :  
Et spoliis , luētuque prius ditescere , dulci  
Quām reditu , & partis sine crimine fructibus agri.

Fœlices licet agricultas, sua si bona norint,  
 Virgilius canat: occultas accedere partes  
 Naturæ; cælique vias & sydera nosse  
 Maluit: & nostris hoc unum prætulit agris.

Egregiam verò sortem, vatum optime, noctes  
 Atque dies rerum secretas quærere causas;  
 Et quorum intuitu gaudent, usque coloni;  
 His animum cruciare: polum percurris, & ortus  
 Signorumque notas obitus: multumque laboras  
 Ut stellis numerum facias, & nomina: cæloque  
 In varias cogas, instar ducis, astra cohortes.  
 Interea nudo speculatus lumine cælos  
 Rusticus, & stellis & amicâ nocte fruetur.  
 Ingenium cæli mutabilis, aëra tecum  
 Ventorumque vices meditaris: at ille tepenti  
 Vel molles gremio zephiros admittit, apertis  
 Indulgens cæli spatiis: vel frigore duro  
 Defendit sata læta. Sedens ad littora rivi  
 Tu procul oceano fontes accersis ab alto:  
 Ille sitim compescit: aquam miratus euntem:  
 Garrula seu nitidos interstrepant usque lapillos;  
 Gramineis pleno sive ambitiosior alveo  
 Insultet ripis, atque obvia saxa laceffat.  
 Nam neque quâ pluviae, quâ sint ab origine fontes,  
Nosse

Nosse suum est : sed quo ducat libramine rivos ,  
 Et quibus instantem signis præsagiat imbre .  
 Nescit in humanis quorsum nunc frigore membris ;  
 Nunc alternanti febris desæviat æstu :  
 Sed quibus auxiliis , & quâ curabitur arte  
 Non latet : & quamquam medicus nihil amplius  
 addat ,  
 Post seatas ferro venas , fusumque cruentem ,  
 Imaque malvarum missos in viscera succos ,  
 Et contra varios eadem data pharmaca morbos ;  
 Ulterius febres expertis rusticus herbis  
 Insequitur , sensu neque tristia torquet amaro  
 Labra , nec epotis quatit intestina venenis .

O ! tibi quâm vultu risit fortuna sereno  
 Rustice , si vitæ comes obtigit atque laborum  
 Quæ studiosa suas peragat quoque villica partes ,  
 Non somno pigra , non epulis , non dedita vino  
 Maturamque gerens juvenili in corpore mentem .  
 In commune bonum cum conjugé sponsus amicis  
 Conspirant animis . Soles & frigora fôrti  
 Perpetienda viro , quem rerum summa potestas ,  
 Quem penes est cultura soli : sociata penates  
 Sustinet , & curis instat levioribus uxor .  
 Imperat alter agris ; regit interiora domorum

Altera : vir operâ servos exercet agresti :  
 Hos , ubi bruma gelu rus interclusit acuto ,  
 Sponsa rudem glomerare jubet vel ducere lanam.  
 Ille nuces agris & poma fragrantia mittit :  
 Accipit illa domi venientūm pondus ; & altis  
 Poma super tabulis sternit. Sata læta maritus  
 Educat , & multo cererem sudore recondit :  
 Advestasque domi conservat fœmina fruges.  
 Et quia fida metu custodia crescit ab ipso ;  
 Idcirco timidam fecit natura , virumque  
 Audacem , & duros natum tolerare labores.  
 Alterius sic alter eget : sic fœnore certo  
 Mutuus auget opes amor & concordia vitæ.

Villica stramineos componit rite penates :  
 Et quamquam nudus paries humiliisque ; vel ipsa  
 Paupertate placent ædes , & simplice cultu.  
 Non ebur aut aurum , sed pensilis uva lacunar  
 Multa tegit : non argento pretiosa renident  
 Vasa domi , tabulæ nullæ , nec ahenea signa ;  
 Sed scutulæ , vitreasque calix , & stanneus orbis ,  
 Atque faventinæ lances : queis villica tantum  
 Utitur , adventum vel ad hospitis ; annua pago  
 Vel cum festa dies rediit. Laquearibus altis  
 Perna suumque pedes , & sorbus odoraque pendente

Allia , & in varios Cepe religata maniplos :  
 Villica quo mayult agrorum munere prolem  
 Pasçere, quām pictis oculos recreare tabellis.  
 Lintelo tenues infernit vespere mensas ,  
 Ante focum , si frigus erit ; si ferveat ardor  
 Sirius , igne procul portæque patentis ad auram ,  
 Vel jove sub nudo , patulæ vel ad arboris umbram .

Quid memorem quantum mulier studiosa laborebat  
 Ut facili paret arte cibos ; mensasque diurnas  
 Usque juvent olus , & pingui carnaria lardo ,  
 Ovorum gallina ferax , passique racemi ,  
 Quos , hyemis memor , autumno ferventia binos  
 Vel ternos in ahena manu demittit ; & ignem  
 Suppositum tolerare jubet , dum pallida rugas  
 Uva trahat , cinerisque calens lixivias crudos  
 Excoquat humores intus : tum dulcis Olivi  
 Instillat guttas aliquot de paupere cornu ;  
 Quo gustu melior , quo pinguior uva nitescat .  
 Securam dein à pluviis & rore madenti  
 Longâ crate super muro subtendit aprico ;  
 Vimineisque premit siccatam sole canistris .  
 Villica ferventi vel mala cydonea naufragio  
 Incoquit ; aut liquidi saturat dulcedine mellis .  
 Ut falsas venturæ hyemis quoque servet Oliyas ,

Albentem ferro baccam decussat acuto.  
 Incisura salem recipit , mixtosque virentis  
 Fæniculi , menthæque brevis , laurique sapores.

Cum redeunt à glande sues pinguedine tardi ,  
 Morte prius quām maestet , aquis potuque nocenti  
 Atque volutabris , ut sit caro siccior , arcet.  
 Hora saginato cum fulserit ultima porco ,  
 Ne longis moriens fessas grunnitibus aures  
 Offendat , vel dente manus ; huic spiritus oris  
 Obstruitur ; jugulumque rubro mucrone resoluunt.  
 Stat circumspiciens rivos mirata cruentos  
 Progenies , mirata feram sine voce jacentem ,  
 Pulsantemque tamen singultibus ilia crebris.  
 His sutas operæ patiens vel dextera setas  
 Detrahit officio lymphæ ferventis ; easdem ,  
 Abs radice , levi vel adurit flammula culmo.  
 Intima tum calido nudantur viscera ferro ;  
 Bisquinos est cura dies in tergora largum  
 Infarcire salem , & vastum superaddere pondus ;  
 Assiduâque fricare manu ; tum , necubi falsus  
 Hæreat humor , aquâ salutram aspergere dulci ;  
 Dein pernas lardumque nigris suspendere tignis ,  
 Quo veniant calor , & vicino fumus ab igne.  
 Sub placidis soles ita condit villica tectis ,

Et nisi votivum domibus procul ire facellum  
Religio jubeat; non errabunda penates  
Deserit oblitos. Cum res tamen exigit, agros  
Nil metuit, mutatque colos & stamina rastro;  
Sive legenda solo sit pinguis Oliva rigenti,  
Sive metenda seges: nec frigore pigra nec aëstu  
Progreditur, cum plena tument quoque viscera  
partu,

Æquat humum rastris, segetem nascentibus herbis  
Liberat, in longos religat farmenta maniplos;  
Et duri patiens ita ruris, amansque laborum est,  
Inter ut agrestes operas enixa, marito  
Progeniem referat, quam non peperisse, sed agris  
Invenisse putas. Laribus procul ubera mater  
Non aliena sinat generosam sugere prolem:  
Gaudet enim cum lacte suos traducere mores  
In pueros; & habere domi qui blanda vicissim  
Accipere, & dulci velit oscula reddere matri;  
Plaudentique patrem redeuntem vespere risu  
Noscere, & amplexum passis ambire lacertis.  
Rusticulus fatis oritur melioribus infans  
Paupere sub tecto; quam sub laquearibus aureis,  
Quam thalamo puer ingenuus nascatur eburno.  
Cogitur ille gravi patrios mutare penates

Exilio : matrona potens , exuta parentis  
Officium , manibus sobolem permittit avaris ;  
Quæque cani fugenda dabit , negat ubera nato.  
Maternos animi sensus oblita , suumque  
Non oculo mater , non pectoris indice motu  
Cognoscens puerum , post binos accipit annos ,  
Degeneres imbutum animos , & plurima passum.  
Susceptam ruri contra pia villica prolem  
Usque domi fovet , & teneris impendit alumnis  
Quos natura sinus implevit lacte tumentes.  
Amissos videt ut fœtus genus omne volucrum  
Defleat ; ut rapto vitulo queribunda per altos  
Vacca parens saltus erret ; mugitibus auras  
Impleat ; & stabulum serâ sub nocte revisens  
Grandibus ora riget lacrymis , nec limpida curet  
Flumina , nec pingue , vituli memor unius , herbâ ,  
Audit & absentem quantis balatibus Agnum  
Mœsta requirat Ovis , quâm gaudeat ubera proli  
Plena referre suæ , quâm tristis ovilia manè  
Deserat , & virides eas incomitata per agros .  
Villica maternos pecudum miratur amores  
In sobolem ; pudeatque feris si foemina cedat.  
Rusticus agrestes puer informatur ad usus ;  
Et primo soles hyememque assuescit ab ævo

Vix pedibus malè fultus humi consistit, & artus  
 Sustinet ipse suos; cum jam tractare ligones  
 Incipit, & patrio afflurgit robustus honori  
 Non operum tam factor adhuc quam testis in agro  
 Affiduuus versatur; amat, discitque videndo  
 Difficilem ruris culturam: jamque parentis  
 Sustinet absentis partes, urgetque laborem.

Intercà pater agrestes hunc edocet artes,  
 Multa monens frugum imprimis pluviæque potentē  
 Ut precibus cultuque deum veneretur & aras:  
 Immunes operâ ferias ut servet; iniquè  
 Nil agat, invideat nulli; sed tentet opimas  
 Quas videt alterius segetes superare colendo.  
 Imperet ut terris, cælo sed pareat: imbræ  
 Non impermissis præfagiat artibus augur,  
 Derivet nimios: tempestatesque secundas  
 Oret, & adversas contra præmuniat agros;  
 Vicinos amet agricolas; & ne quid corum  
 In pecora & segetes peccetur; ut arva vicissim  
 Illius, & pecudes servent, furesque repellant.  
 Oderit imprimis lites, quæ civica bella  
 Victorij victoque parem dant sæpè ruinam.  
 Officiis quantum poterit bonus adjuvet omnes;  
 Sed sibi nec multos, neque nullos querat amicos,

Non in amicitiis , quantum in tellure , reponat:  
 Hanc colat imprimis , hinc spes certissima : vastos  
 Laudet agros , amet exiguum. Fecundior , inquit  
 Est brevitas culti ruris , quam maxima fundi  
 Jugera neglecti. Ne tu vel egenus amicis ,  
 Vel tibi paupertas oneri sit , sedulus agros  
 Exerce : nova ne placeat tentare ; recentesque  
 Explorare modos : imitare quod approbat usus.  
 Pone modum rebus ; nec opum te dira cupido ,  
 Pauperiesque doment. Obstat virtutibus auri  
 Sacra fames ; scelerique animos inclinat egestas.

Conductis operis segetes , oleumque ministria ;  
 Nec plures alito servos , quam rure colendo  
 Exercere potes. Ne partibus aspera factis  
 Consurgant odia , & bellum servile , quietos  
 Elige , nec plures una de gente ministros:  
 Servitia exemplis moderate ; magisque silentem  
 Te famuli metuant , rabida quam voce tonantem ;  
 Crudeleaque domus non detestata , severum  
 Formidet ; servosque , tuo quasi sanguine natos ,  
 Dilige ; nec pacta fraudes mercede ; fideles  
 Ut facias , confide ; tamen te cuncta sagacem  
 Nosse sciant. Sanos operis agrestibus urge ;  
 Solare infirmos : amor obsequiumque valentum  
 Nascitur

Nascitur ægrorum ex curâ ; stimulusque laboris  
 Optimus est amor in dominos, studiumque placendi.  
 Sic puerum instituit pater ; & vergentibus annis  
 In senium , validæ quamvis ad fortia vires ;  
 Dat tamen agrestum nato moderamina rerum :  
 Ut quem cura manet rurisque domusque regendæ,  
 Jam tum peccando discat patre teste ; quietis  
 Non ut amans vitæ genitor se tradat inerti.  
 Filius exemplis opulentus & arte paternâ  
 Ruris in imperium succedit : & ubere tellus  
 Messe ferax dominum non sentit abesse priorem,  
 Grandior & plenis jam filia nubilis annis  
 Exercet rigidos unâ cum matre labores ;  
 Nec pudet & rastros , durumque movere biden-  
 tem :

Purpureâ non veste nitet , non divite cultu ;  
 Non raris Arabum donis , emproque probari  
 Crine cupit. Faciem nullâ juvat arte , suaque  
 Prata die festo quebit per florea gemmas ;  
 Et sedet ad vitreos ornans sibi tempora rivos.  
 Simplicitas capiti pro turribus infidet , ori  
 Pro fuso pudor ingenuus ; sociasque laborat  
 Vincere , non formâ , sed robore corporis , illâ  
 Quæritat , & ditem reperit sibi dote maiatum.


Dulcis enim cum jam primos Hymenæus amores  
Sollicitat, vincloque parat sociare jugali:  
Cum procul innuptæ, puerisque puella vicissim  
Par ætate placet; captent ut tempora fandi  
Oppotuna, legunt in cādem vite racemos;  
Flaventesque secant uno simul æquore messes.  
Aggreditur primos, operum dux fœmina, sulcos,  
Atque proco placitura suo præcurrit anhelos  
Agricolæ: illam tacitâ dulcedine latus  
Spectat amans, gaudetque sequi non posse metente.  
Sæpè nec ingratis ultiro remoratur amicam  
Quæstibus, increpitans spicas tellure relictas,  
Ut vultus, oculosque retro convertat in ipsum.  
Mæstres reliqui somno, sed dulcibus ambo  
Colloquiis fractas reparant post prandia vires:  
Jamque animo instituunt, quâ lege feracibus agris  
Imperitent, placidosque regant in pace penates.  
Nulla mora in patribus, certis connubia firmant  
Legibus: accurrit totis cognatio pagis  
Dona ferens, tædasque parans celebrare jugales.  
Expectata dies ubi jam processit; & albâ  
Cunctantes manet impatiens in veste sacerdos:  
Ante fores, ipsoque domūs in limine, sponsi  
Procumbunt in genua: parens utriusque madentes

Procedit siccans oculos , & amore paterno  
Præmia digna , manum tollens cum voce, precatur.  
Templa petunt , vittâ sponsus bicolore galerum  
Ornatus , virgo vultus dejecta modestos ,  
Atque novis sudore madens sub vestibus : ambo,  
Numine teste , sacro conjungunt fædere dextras  
Sole nigras , quamquam purgatas furfure multo :  
Tympanaque & cytharas inter clamosa juventus  
Deducunt , sponsum pueri , nuptiamque puellæ.  
Tum prisco de more jubent utrumque fedece  
Ulmo sub patulâ , mediis quæ publica pagis  
Umbra viret: magnâ spectantûm astante coronâ  
Junior hinc virgo cerealia grana refundit  
Conjugis in caput , & tacito suffusa rubore ;  
Votum pro thalamis , & fertilitatis honore  
Persolvit , dulcesque refert in corbe placentas.  
Hinc juvenum manus incipiat garrire maritis  
Multâ super , vocem nisi protinus ære soluto  
Comprimat , atque merum vir connubiale rependat.  
Interea structis fumant convivia mensis ,  
Lauta quidem , quamquam nullis ornata macellis:  
Hædus enim : verexque , famæ quo prima do-  
matur ,  
De gregibus venere suis , pullosque tenellos;

Gallinás, Anatesque diu servavit in illam  
 Parca colona diem: mensis nec poma secundis,  
 Castaneæque nuces defunt, nec copia lactis.  
 Quas epulas non vina modo, sed pectine duro  
 Pulsa chelis, fracti calices, risusque soluti,  
 Carminaque, & varii ductâ pro conjuge cantus  
 Exhilarant: mensas choreæ, ludique sequuntur;  
 Et festum visenda tenent spectacula pagum,  
 Quorum finitimos rumor diffusus in agros  
 Non aliis vacuas sermonibus occupat aures,  
 Gaudet enim faustum non invida crescere prolem  
 Et patribus similes sperat vicinia natos.







L. M. Dumernil d.

L. E. Caref.



# P R A E D I I R U S T I C I

## L I B E R III.

**N**ON satis est terris fortis quæsisse movere-  
dis

Agricolas, opus est pecudum quæ vomere scindant,  
Et pingui macros saturent lætaminc campos.

Nostris, Lamonide, pars non postrema laboris,  
Quam tibi dum meditor, geniali tempora fert  
Vinctus hymen, gaudensque tuo cum sanguine clarâ  
Pelterii sociasse domum, non rusticâ duro  
Rursus, ait, celebranda tibi connubia plectro,  
Sed festum regale tubâ majore sonandum,  
Sed vir avis atavisque potens, & honoribus auctus,  
Lamoniâ sed gente, novo sed digna marito,  
Irgenio, formâ, pietate insignis, opumque  
Dives, & egregiâ dotatior indole virga.

N

Talibus instabat dictis Hymenæus, agrestem  
 Surgat ut ex humili nunc denique carmine, musam  
 Multa monens. Ego, Lamonide, tua jussa tuorum  
 Laudibus anteferens, hominumq; Bouisque labores  
 Insistam, tenui versum dimensus avenâ.

**Q**ui longas amat ire vias, aut horrida Martis  
 Castra sequi, tenerâ facilem cervice domari  
 Fingat Equum; doceatque pedes & mollia crura  
 Composito glomerare gradu, spumosaque frænis  
 Ora regens, plano vel in æquore cursibus acrem  
 Calce citet, pressis vel in orbem flectat habenis;  
 Aut molli placidum jubeat procedere gressu.

Est alios nobis Bos instituendus ad usus,  
 Difficiles aret impulso qui vomere terras,  
 Luctanti vel plaustra trahat stridentia collo.  
 Elige qui magnâ moveant se mole Juvencos,  
 Cornua qucis procera, caput deforme, resinx  
 Nares & patulæ, compacta torosaque cervix,  
 Hispida frons, aures hirtæ, palearia mento  
 Pendula, nervosum corpus densumque, benignum  
 Ingenium, mitesque truci sub imagine mores.

Torva minus facies, tactu mollissima pellis,  
 Crus modicum, breviorque pedum decet ungula  
 Vaccam.

Cætera sit Tauro præprior ; Sint grandia membra ,  
 Pectus grande , torus sublimis ; & ardua cervix ,  
 Fætusque capax uterus ; Palæaria circum  
 Genua fluant , & cauda pedes fundatur ad imos ,  
 Frontemque ostentet speciosam cornibus altis .

Bos uniuersus tremat ad stimulum vocemque Bu-  
 bulci ;

Nec vanos metuat strepitus , nullasque recusat  
 Iras vias : ea sit fiducia roboris , ut nec  
 Auditu pavidus neque visu , interritus urbem  
 Et tremulum subeat pontem , fluviosque sonantes .

Per virides quondam saltus Oviumque Bouinque  
 Errabant armenta virum secura ; Priusquam  
 E patriis humana feras industria sylvis  
 Duceret , & longo jussas mansuescere cultu  
 Imperiis dociles faceret : tum brachia fossor  
 Versandis adhibebat agris , neque jungere Tauros  
 Notat adhuc , nec Equo ferri , domibusque receptos  
 Informare Canes , Vitulosque apponere mensis ;  
 Sed Lepores ut iam ferro venamur & Apros ;  
 Sic Oves , sic cæso nemorum quondam hospite Tauro  
 Gens antiqua virum inensas onerare solebat ,  
 Et nudis informem humeris circumdare pellem .  
 Sylvestres stabulis animalia cætera mores

Deposuere ; Boves aliquid feritatis avitæ  
Semper habent , & colla jugo vix subdere norunt.

Quæ nimia ut primis sensim vincatur ab annis  
Sævitiae, jam tum primos impende labores ;  
Jam Vitulus palpantis heri consuescat amicam  
Ferre manum ; nexusque pati per cornua frondes,  
Triste rudimentum pressuri grandia quondam  
Colla jugi. Tribus exactis deia meisibus , anno  
Nascenti , vernisque prius quam Buculus herbis  
Luxuriet , trimum subiges ; nam deinde repugnat  
Durities ætatis iners , & nescia flecti.

Indomitos animi motus , ac totius iram  
Sævitiae porcinus adeps & vina resolvent :  
Et quo mens hominum furit effera , Taurus Jacho  
Pleior innatos dediscit mente furores.

Si vino dapibusque datis , si nomine blando  
Compellans nihil obtineas ; In vincla Juvenatum  
Conjicies , ut longa ferum jejunia vincant.

Torva tuens , cælo dum cornua func revincta  
Jactat , & in ventos iras effundit inanes ,  
Cautior accedes ; nam si te calce petitum  
Amoveat , mentem successu latus iniquam  
Roborat ; Atque sui confidentissimus audet  
Detrectare jugum , cornuque in vulnera preno

Intentare minas , pedibusque arcere Bubulcum.  
 Mitia colla gravi postquam submisit aratro ,  
 Nullos deinde negat placidus tolerare labores :  
 Terribilisque ( suas norit si bellua vires )  
 Vel pueri pavet ad stimulum vocemque minantis.  
 Ergo ubi a pellito jam supposuere Juvenci  
 Colla jugo , fint qui retinacula lorea retro  
 Contineant: Præcat domitor , clavaque saligna  
 Urgeat extimulans , modicove coercent iectu ;  
 Atque pari doceat junctos incedere passu.  
 Tum vel plaustra jingo vel curvum innectat aratru :  
 Pondera prætentet leviora ; Solumque subactum  
 Vel sterilem facili sulco moderator arenam  
 Exaret ; ignaros operum ne forte Juvencos  
 Terreat , aut molles quasset labor improbus artus.  
 Indociles aliam instituunt ratione Juvencos :  
 Mansuetu validoque Bovi conjungitur asper ,  
 Quem procurrentem retrahit vetus , urget inertem .  
 Et conferre pedes jubet , ac parere Bubulco ;  
 Fumosis tumidas licet efflans naribus iras  
 Profiliat , tentetque jugum dirumpere Taurus.  
 At si forte malo , quod vi non præstitit , astu  
 a Jugum pelle tegitur ne mollia vitulorum colla  
 laedat .

Tenter , & in mediis jaceat cerebrosior agris ;  
 Supposito non igne latus , non tergora plagiæ  
 Afficies : pigrum vinclis constringe Juvencum  
 Ut nec stare queat neque vesci ; namque periclo  
 Cautior ipse suo , nusquam dein sponte jacebit  
 Inter opus , stomacho monitore fameque magistrâ  
 Et tres una Boves jungunt ad aratra ; duorum  
 Arbitrio medius , veteranos inter , agrestem  
 Molitur patiens operam , paucisque docetur  
 Verberibus iussos ultro durare labores.

Junge pares ætate , animo , in embrisque Juven-  
 cos

Viribus ut duros sulcent æqualibus agros :  
 Conficit invalidum generosus ; incersque valentem  
 Cogit ad ignavos tandem deflectere mores.  
 Unanimes faciunt operum confortia Tauros ;  
 Est & amicitiae sua vis , quæ dura ferarum  
 Corda quoque assiduo vitæ conjungit ab usu.  
 Nonne Boum par grande vides per prata per agros  
 Carpere communes herbas , ad flumina pastos  
 Ire simul , mediis unâ decumbere campis ,  
 Et lento sub dente cibos revocare terendos.  
 Magnanimo quamvis armatam in prælia frontem  
 Præbuerit natura Bovi ; Tectoque sub uno

Cætera vix habitent nullis animalia rixis ;  
Interdum & placidis Ovibus quoque debile cornu  
Pruriat in pugnam : convivæ nulla Juvenci  
Bella movent , animis agitant concordibus ævum :  
Oscula quin etiam jugunt ; fessumque soluti  
Cum posuere latus formoso in gramine , molles  
Blanditias adhibent ; & amicam ferre vicissim  
Novit opem grandi dens officiosus hiatu ,  
Alter ut alterius prurigine liberet armos .  
Neuter arando sibi parcit ; cervicibus ambo  
Contentis , totâque simul nituntur opum vi .  
Obsequio certare putes , sociumque sodali  
Dulcia velle gravis solamina ferre laboris .  
Hos ubi dissociat mors immatura ; Juvencus  
Qui supereft , tristes , amissò compare , quæstus  
Ingeminat , lachrymis frateruin funus obortis  
Prosequitur , totos circum vagus ambulat agros ;  
Et vicina movens queribundo rura boatu ,  
Contristat magis agricolam nova dainna timentem ,  
Ne dolor hunc etiam absunat , qui nescius herbæ  
Triste gemit campis , & fletu pascitur uno .  
Arva colunt & Asellus inters , & Mula biformis ;  
At neque difficiles veniunt ad aratra ; Sed ulro  
Accipiunt cervice jugum , levibusque solutes

Vomeribus scindunt agros , & stridula collo  
Plausta trahunt , dorso neque pondera ferre recu-  
sant.

Infelix Afini victus parcusque ; laborum  
Atque famis patiens , frondes herbamque palustrem  
Vescitur ; objecto sarmenti fasce , rubisque  
Et paleis etiam gliscit : neque novit acerbos.  
Qui majora solent armenta invadere morbos.

Non operum tamen ulla quies , nam quidquid  
agendum

Vel ruri vel in urbe , molis quæcumque terenda  
Vel portanda domum , miserandæ fortis Asellus  
Semper adest , omnem qui sessile præstet in usum  
Tergus , & immiti duratas verbere cestas.

Mancipiis autem quamquam fera nata vehendis,  
Gestitat & dominas , queis nondum prisca parentum  
Simplicitas odio est : stricto non ora capistro ,  
Sed levibus flectunt virgis ; Afinusque superbus  
Auratis phaleris , atque ipso pondere , cœptum  
Urget iter , lenta nec jam movet indecor aures.

Sæpe sui tamen oblitus , petulantior abdit  
Inter genua caput ; simul & sinuosa retorquens  
Membra procax , dorsum movet in sublime , sedili  
Exutiens equitem , cœno quem mergit in alto ,  
Accitamque

Accitamque rudens vocat ad ludibria plebem.

Interdum mediâ sifit cerebosus in urbe,  
Et luceos rodit Caules frondemque salignam,  
Irrequieta parum curans hortamina vocis,  
Infictasque sibi nodoso robore plagas.

Mula licet socors ab Asello patre, trahendis  
Curribus & pando melior queratur aratro.  
Nam patiens operum est, & victu parca, pedumque  
Mobilitate viget: grandes, par nobile, Mulæ  
Plus tibi quam jug a quinque Boum telluris arando  
Confident; nisi gleba tenax & dura requirat  
Acre ministerium, natosque ad fortia Tauros:  
Nescia difficulti nam cedere Mula labori  
Rumpitur ipsa, graves nequeat si frangere terras.  
At neque sessorem stratis ornata recusat;  
Et sublimis Equus vix passibus æquat cuntem  
Atque viatorem quaesitat magis. Utile pulchro  
Anteferens, veterisque tenax Hispania moris;  
Nunc etiam celeri Mulâ vectatur, Equorum  
Contemptrix claros belli quos servat in usus.  
Non curat quam turpe caput, quam longior auris;  
Sed quam pes agilis, passus quam mollior, una  
Quam pinguis palcâ Mulæ, culmisque nitescant.  
O! ubi francigenum veneranda modestia patrum

Quos ætate graves vel ad altum Mula senatum  
Ipsa gravis senio quondam tulit : inter eundum  
Tempora inempta dabant facilesque clientibus  
aures.

Non opibus ; sed aves fastu superamus inani :  
Nec satis est quod plus stabulis impenditur auri,  
Quām mensis tribuatur , herum quod currus ovati-

tem

Auratus vehit , & natis ornatior ipsis  
Circunstat rhedas utrinque satelles : Equorum  
Officiis servus successit ; & immemor ortus  
Vir hominem collo gerit , humanaque per urbem  
Non pudor est cervice vechi ; tantumque Deorum  
Editæ in effigiem naturæ intendere probrum.  
Sed quid ego hanc animis hominum depellere  
Jabem

Aggregior ; pecorum morbos , usumque medendi  
Utiliore sequar curâ : Bove discat ab uno  
Rusticus armentis medeatur ut omnibus ; ægro  
Seu capite , aut fractis lumbis , uteroque labo-  
rent ;  
Nam neque fas pecudes , neque casus ire per  
omnes.

Sæpe cibos fastidit iners , & pinguia Taurus

Prata tenens, lætam nec edit nec ruminat herbam;  
 Se neque deterget linguâ, sed inertia ponens  
 Membra solo, caput huc tristis convertit & illuc;  
 Circumagit caudam, cælumque boatisbus implet;  
 Atque laboranti crebros è gutture ructus  
 Eluetatur agens: oculos stupor urget inertes;  
 Grandibus ora madent lachrymis; medicasque re-  
 poscunt  
 Viscera cæca manus longum miscentia murmur.

Tantos efficiunt vel pabula cruda dolores,  
 Vel qui tortilibus simus altè induruit exitis.  
 Villietis incoctas valido medicamine tentet  
 Exsuperare dapes: at ubi nequit usque tonantem  
 Torminibus cæcis uterum mollire medendo,  
 Audeat immissâ, secto prius ungue, salutem  
 Ferre manu, pressoque simum deducere pugno.

Sed caveat ne quos invasit tabida pestis,  
 His juvet auxiliis, morborum errore, Juvencos.  
 Continuò papulis manus ardet, & intima labes  
 Gliscit in ossa viri, nisi se crudelis in ipsum  
 Saviat utiliter, ferroque armetur amico,  
 Et vitam dextrâ redimat generosus ademptâ.

Ergo ubi sœva lues incessit; sola remotos  
 In saltus precul, & montes armenta relegans

Conserva quæ sana vigent, & corpora fatis

Ægra suis permitte ; viam nec quære inedendi.

Christiadis quamquam, divo rerum auspice Ro-  
cho

Nil desperandum : vivus qui profuit olim,

Et pestem patriis orando depulit oris,

Nobis usque bonus, precibusque potentior idem

Mortiferam cælo labem compescet ab alto :

Jamque patrocinii vim dudum experita Tolosa

Monspeliumque suo posuere altaria civi.

Quare age devotam Rocho spe plenus ad aram

Has effunde preces. O ! tu cui tabida cæli

Paruit aura, fide solâ cum numen adibas

Vivus adhuc ? qui celsa tenes nunc astra, Deumque

Alloqueris coram, fer opem mortalibus ægris.

Enfurit atra lues ; illam quid parcere prodest

Agricolis, socios operum si pergit acerbâ

Tollere clade Boves. Hominum memor atque  
ferarum

Respiciet deus ipse Bovem, qui poplite flexo

Primus adoravit pueri cunabula Christi,

Frigentes tepidis recreans afflatibus artus.

Hæresis in superos audin quid perfida garrit ?

Vos nostri curam non sollicitare quietos,

At neque vota Virūm vestras pertingere ad aures.  
 Ergo prodigiis animos eviace rebelles :  
 Dumque suos illi , defuncta cadavera , Tauros  
 Fune trahent procul à stabulis ; ego peste solutos  
 Templorum populosa Boves ad limina ducana  
 Auxilii testes ; & religionis honore  
 Lætior , incolumi quam Tamro , munera templis  
 Parva tuis , grato sed redditia pectore solvam.  
 His precibus salvos Rochus dat sèpe Juvencos.

Febris & ipsa Boum vastos desævit in artus :  
 Signa dabunt utriusque oculi compressior orbis .  
 Manantes lacrymæ , satias morosa ciborum ,  
 Dejectum caput , & vix pectore ductus ab alto  
 Spiritus. Emisso cum sanguine proderit æstus  
 Avertisse graves ; Caules , oleumque , garumque  
 Incoquere , & mixtos in guttura fundere succos ;  
 Pampineaque cibi fastidia vincere fronde.

Cum venter dolet , indicio est pituita fluenti  
 Nare frequens , laxi mucosa cruentaque ventris  
 Proluvies : vetus austero dilutus Jaccho  
 Caseus , & Gallæ contritaque poma Cupressi  
 Compescunt uteri sonitus , fævosque dolores.

Est etiam gravis illa lues , cum dira tumentes  
 Ulcera pulmones invadunt ; acrior unde

Et tussis quatit ; & macies depascitur artus.  
 Auxilio est Porri succus , validumque ruentis  
 Injectum stomacho vinum : contusa minutè  
 Mixtaque lens oleo , concisaque gramina tussim  
 Discutunt : pingui macies quoque vincitur Ervo.

Accessu facilis medicos stet ut æger ad haustus ,  
 Nec dextram ingratâ Bos calce repellat amicam ;  
 Commoda transversis fabricatur machina lignis ,  
 Qui veluti caveâ clausus , validisque capistris  
 Præcinctus quadrupes , laqueato corpore , quernis  
 Axiculis , tensâque simul cervice , medentum  
 Arbitrio succos nolens absorbet amaros.

Vespere si fixo Taurus disiunctus aratto  
 Claudicat , accepti neque vulneris ulla cicatrix  
 Apparet ; digitis pressantibus , inspice cæcus  
 Hæret ubi dolor : ex ipso fervore patebit  
 Tristis origo mali ; monstrabit & ipse Juvencus  
 Impatiens vitiata premi : si forte dolore  
 Nervorum titubans gressu trahet impare corpus  
 Crura diu manibus dulcique foventur olivo.

Sanguis ubi venas extra diffusus apertas  
 Ima pedum tenet ; ad vivum rescinditur unguis :  
 Dein sanies ferro leviter , stupâque bibaci  
 Eluitur ; tum pes vario medicamine fatus

Induitar soleis ; incinctaque spartea circum  
Fascia lethali plagam defendit ab imbre.

Tu quoque s̄apē Boum malecauto vomere talos  
Offendes : ferro grave circuncidere vulnus  
Ne dubita ; Sulphurque , Picem vel iuure liquen-  
tem.

At neglecta scatent ubi vermibus ulcera visu  
Fœda , nec eximitur labes frigentibus undis ;  
Marrubium super , & sectivum contere Porrum.  
Oceanus scabiem mordaeibus eluit undis ;  
Sunt etiam auxilio pelli defricta rigenti  
Allia , vel pingui dilutum Sulphur amurcā.

Pestis inest corio major , cum Taurus ab imbre  
Permaduit sudans , gelidâve refrixit ab aurâ  
Hæreat eminulis ut jam cutis arida costis.

Decoque florentes Lauros ; & sole sub ipso  
Terga fovens , superadde fraces , fæcemque Lyæi ;  
Apprensamque manu diducens attrahē pellem.

Solvantur venæ , quoies luctatus inquis  
Taurus agris sibi coptuderit vel colla vel armos.  
Si media intumuit cervix ; neque sanguis utrâque  
Missus ab auticulâ quid profuit ? illine sevum  
Hircinum , liquidamque Picem , bubulanque me-  
dullam.

Haustaque si pressas fauces obsedit Hirudo,  
 Nec manibus potes hærentem depellere pestem:  
 Grandior infirmitur diductis fistula malis;  
 Supposito Cimex ita deinde peruritur igne,  
 Ut tubus acceptos intus transmittat odores:  
 Nidor enim pronâ stantem cervice Juvencum  
 Liberat; immisso recidet quoque pestis olivo.  
 Sæpe venenatum premit heu! Bos inscius An-  
 guem,

Quem prato tecubans altâ non vidit in herbâ.  
 Mole laceritus Serpens in tergora morsum  
 Imprimit, & totos labem molitur in artus.  
 Lethiferum si fata dabunt cognoscere vulnus;  
 Rutam adhibe; membris agit atrum Ruta ve-  
 nenum.

Quam tu ne Medicos ne crede Machaonas attem  
 Induxisse; comas herbarum & inania norunt  
 Nomina, sed vires illarum usumque medendi  
 Utilius natura docet genus omne ferarum.  
 Nam cum cæruleum Mustela lacerret Anguem  
 Arrectoque minax insurgens pectore Serpens  
 Impavidum linguâ vibrante repelleret hostem;  
 Combiberat læso quoties Mustela venenum  
 Corpore, ad auxilium Rutæ fugiebat, opemque

Hilus ex tactu referens , ubi virus ab ægris  
 Expulerat membris , jam fortior ibat in hostem.  
 Rusticus excuso rem contemplatus ab agro ,  
 Avulsiis , quæ sola fuit , radicibus herbam  
 Abstulit : exanimis cadit heu ! Mustela veneno  
 Turgida ; nam toto Rutam dum quæritat agro ,  
 Intima corda subit jam non medicabile virus.

Est etiam lapis Eoo delatus ab orbe ,  
 Subniger , & levior , Serpentum nomine dictus ,  
 Quem si tecum habeas , securâ innoxius Angues  
 Jam poteris tractare manu : Serpentis ad ictum  
 Applicitus lapis in sese trahit omne venenum ,  
 Quod revomit , vel aquâ mersus , vel lacte te-  
 penti.

Quin & mortiferam lapis idem Sugit ab altis  
 Vulneribus tabem ; plagæque tenaciüs hæret ,  
 Ebrius exhaustâ扇ie dum labitur ulro.

Solve senescentem Taurum , qui liber aratri  
 Pascua læta petens , postquam te juvit arandis  
 Vivus agris , ipsâ proficit quoque morte , macello  
 Venditus , & letho vitam amissurus iniquo :  
 Nam tantorum aliam mercedem ferre laborum  
 Debuerat , fatisque senex melioribus uti.

Emeritus Bos prata terit , permissaque secum

Otia miratus, lœtis pinguescit in herbis:  
Nescius heu! fato quam tristis debita cervix,  
Cui gravis impendet frangendo clava cerebro.  
Non aliter rebus felix qui saepe secundis  
Luxuriat, gaudens animis exultat avaras  
Intropes, & fortunæ malè credulus alta;  
Spes agitat; sed adest tacito pede, jamque beatum  
Mors rotat elatam circum caput impia falcem.

Pascua queis sunt rara, Boum cognosce labores  
Sufficiat, pecorum nutrix Arvernia Vaccas  
Educat, & lacti curas impendit habendo.  
Vacca suis hyemat stabulis: nix undique circum  
Occulit albentes campos; armentaque longi  
Carceris apposito sustentant tædia foeno.  
Sed liquidæ simul ac a' tis ē montibus, aurā  
Jam tepidā, fluxere nives; longoque soluta  
Frigore, nascenti tellus se vestiit herbā:  
Tunc, veluti cum signa tubæ cecinere, relictais  
Urbibus armigeræ coēunt in bella cohortes:  
Haud secus hybernis stabulis funduntur, & altos  
Hortantur sese in montes armenta boatu,  
Nec mota jam nullis hominum cogentibus, ultro  
Signa movent; nulloque viam custode capeſſunt.  
Providus interea Pastor quorum indiget usus.

Cuneta parat; mulsoque cavet ne vascula lacti,  
Nec formæ calathique, sibi neque pabula defint.

Jamque ubi devenerit locos armenta, virenti  
Gramine luxuriant totos errantia soles.

At serâ jam nocte Lupos, qui montibus illis  
Insidias Vitulis meditantur, ut agmine facto  
Propulsent pavido victos terrore vel armis.

~~Gramineis~~ quasi castra thoris metantur in orbem:  
In medio Vitulos statuunt; junctisque recumbunt  
Tergoribus circum, quæ propugnacula molis  
Corporeæ vallant erectis cornibus; altumque  
Unâ omnes viridi proflant in cespite somnum;  
Securæ sobolis matres, gremioque parentum,  
Cui timidum latus applicuit, confisa juventus.

Atque orto jam sole, Lupum si forte parantem  
Insidias, videant jugâ per secreta vagari;  
Undique terribili clamatur ad arma boatu:  
Auxilio subeunt omnes; nec graminea libant,  
Ante recompositis quam fur procul exulet oris.

Pingue pecus molli quamquam lasciviat herbâ;  
Pastori tamen ut primum lux alma refusit,  
Plena refert junctis quæ inulgeat ubera palmis.  
Et ne pœnitcat justum solvisse tributum;  
Lac sale compensat Pastor, quo munere Vacca

Inviter, notis iterum succedere rectis,

Et preissis ultro dare lactea flumina mammis.

Ergo manè greges subeunt magalia circum:

Mulgendam proprius quam vult accedere Vaccam

Evocat, & proprio compellat nomine Pastor.

Paret, & appositis obvertit, tergora mulctris:

Ne latices premat, & Vituli memor, ubera mater

Contineat; primus nato permittitur haustus;

Ut cum torva parens satiatam lacte putavit

Progeniem, plenis exauriat ubera vasis.

Interea mulfæ repetunt dum pascua matres;

Pastores nivæ liquefacta coagula mulctræ

Injiciunt, & lac glaciant, solidumque foratis,

Permixto sale, festinant immittere formis,

Et premere, & pressis imponere pondera massis.

Lætior exigitur celsis ita montibus æstas.

Ut juvat & pecus, & pecoris spectare magistros;

Sive per herbosos gressus liber obambulat agros,

Sive solo jacet, & pallentes ruminat herbas:

Mollia tondentes carpant seu gramina Vaccæ

Plenaque pascentum Vituli circum ubera matrum

Vel ludant, herbam timido vel dente lacessant:

Accitis Pastor seu matribus ubera siccet;

Nudatis seu mulctræ premat concreta lacertis.

Seu

Seu plures uno coëant in monte , novoque  
Rustica Pastores celebrent convivia lacte.

Seu Domini veniant ipsi , medicosque liquores  
Hausturi , fontes spernant quos terra salubri  
Affecit succo , & , Vaccâ a meiente , capacem  
Manè scyphum repleant , multum ridente Bubulco  
Pocula lactenti non invidiosa Juvenco.

Mox ubi jam primis horrens Aquilonibus annus  
Deciduis hyemi nivibus præludit aquosæ ;  
Cogitat herboſo tristis grex cedere monte :  
Migraturus enim , solito magis , instat edaci  
Carpens ore cibos ; avidoque viatica pastu  
Providet : & quamquam redditum minus urgeat ;  
ultra  
Descendit tamen ; & jam frigidiora relinquit  
Culmina , ut in stabulis hyemem traducat apri-  
cis.

Sic ubi sol nostris excedere cœpit ab oris ,  
Quas hilari cantu recreaverat hospita Progne ,  
Jam brumâ pulsante , domos fugitiva relinquit ;  
Atque dies alio quærit sub sole benignos .

*a urinam Vacca ( quæ aqua mille florum dicitur ) laboranti stomacho prodeſſe novis sed frequen- tibus jam experimen- tis comprobatur.*



Nec secus alternis gaudens insisteret tectis.  
Si quam forte domum præsens fortuna serenat  
Fervet amicorum gregibus : si nubila surgunt  
Tempora , desertas mirabere protinus ædes.  
Nam fugitiva novos intrans fortuna penates  
Instabiles illuc secum transmutat amicos.






IV. Lib.



L. M. Dumernil d.

I. E. Carr. f.



P R A E D I I  
R U S T I C I  
L I B E R I V.

**J**AM pecoris cultus sequitur memorandus  
 ovilli,  
 Quo nihil utilius terris hominumque fovendis  
 Corporibus natura dedit : nam mollibus Agnis  
*Sustinet humanos quos vellere contegit artus*  
 Difficilesque fimo faturans Ovis adjuvat agros.  
 Atque ego crediderim tibi blanda pecunia nomen  
*Lanigerum fecisse pecus, pastoria postquam*  
 Vita Remum fratremque tulit ; pecorumque ma-  
 gistros.

Ad tantas evexit opes fortuna , subactis  
 Ut populis leges dederint & mœnia Romæ.  
 Non alias studio pecudes majore fovebunt  
 Agricolæ : neque enim stolidam tenet ulla Bidentem  
 Cura sui ; tantoque viros impensis aquum est.

Consulere , utilior quantò est , illamque supremus ,  
 Qui reliquis dedit arma feris , rerum author egen-  
 tem.

Atque indefensam solā munivit opum vi.  
 Exerit ore Canis strictos in prælia dentes ;  
 Cornua Bos obvertit ; Equus se calce tuctur ;  
 Imbellisque sibi pede consulit alite Cervus.  
 Non celeres Ovis ut fugiat discrimina plantas ,  
 Non animos habet infensum quibus impetrat hos-  
 tem ,

Illa nec hyberno decedere cogitet imbr'i ;  
 Vicinam patulae captare nec arboris umbram  
 Dum calet , & siccus sol excoquit altior agros ;  
 Nec celerare gradum jam tempestate subortā ,  
 Cum clamore ruens nisi Pastor fuste morantem  
 Impellat . Natura licet magis omnibus unam  
 Vestierit , tamen uret Ovem penetrabile frigus  
 Ni stabula hyberno ponat contraria vento ,  
 Et siccum pecori filicem culmosque recentes  
 Opilio substernat , ubi cum matribus Agni  
 Purius , & teneros deponant molliter artus  
 Namque suas olim nudo quæ sub jove sylvas  
 Incolumis tenuit , domibus nunc abdita , nostros  
 Ad mores defluxit Ovis ; quo plura saluti

Cavimus ,

Cavimus, ægra magis tentarunt corpora morbi.

Quare agite & primis Agnum curemus ab annis.

Hausit ubi lucem matris delapsus ab alvo

Erigitur; preflis custos diducta papillis

Ora rigat, primumque inspirat lactis amorem,

Maternis alimenta docens educere manmis.

Sed prius exiguum mulget lac pastor, humique

Projicit expressum; morbis nam tristibus ægram

Afflictat sobolem, vel in ipso limine vita,

Exixa qui matre recens emititur humor.

Dein cum prole parens includitur, illa tenellum

Ut foveat partum, condiscat & ille parentem

Nosse suam: tum post biduum farragine matres

Vicinâ saturent; atque intra septa tenillos

Contineant Agnos, quanquam sine fine gementes.

Balatu matrem repetant, & ovilia rumpant.

Mox ætas ubi firma sinet cum compare turbâ

Subsultare solo; blandam comitata parentem

Exeat, ac dulci lasciva sub ubere proles

Ludat, & in mollem dentes exerceat herbam.

Maternos cum jam tempus saturavit amores;

Absentemque parens sobolem, sobolesque paren-  
tem

Non feret impatiens, repetant sua pascua matres;

R

Atque tener puerō ḡrex compellente nocentem  
 Luxuriam segetis primā castiget in herbā :  
 Vel puerum duris exercens Rusticus agris  
 Utiliora pater doceat , natæque decoros  
 Agnorū prope tecta ḡreges committat alendos.  
 Ne tamen hanc animis assuescē puellula vitam ;  
 Nec placeat quondam valles errare per imas ,  
 Et niveos agitare ḡreges : cum secla fluebant  
 Aurea , virginibus licuit ; nunc altera campis  
 Excoqueret molles , Ovium quām cura , puellas.

Vespere clauduntur saturis cum matribus Agni  
 Ubea queis illæ referunt potanda , diurni  
 Supplementa cibi. Depulsi lacte vagantes  
 Usque sequuntur Oves , & agris communibus unā  
 Rascuntur , cæloque simul stabulantur aperto.

Sed non longa viget concordia ; qui malus altis  
 Urbibus exitium est , amor idem rure ferarum  
 Corda quoque extimulat : primis vix cornibus  
 Agno

Frons tumet , insanis jam tum ferus ignibus ar-  
 det ;

Jam tum sœva Mares inter se prælia tentant.  
 Pastor aniatores emasculat , atque petulci  
 Arietis effrenes ferro compescat amores.

Cui patris officium nomenque relinquitur,  
ampli

Procerique habitus Aries villosus, & ipsa  
Candidior nive, nec linguam nec tergora nigris  
Interpuncta notis habeat, suscepta paternas  
Ne referat fusco maculas in vellere proles.  
Multæ pedes, alvum, cervicem, oculosque vel  
ipsoſ

Lana tegat: rostro ſiḡt cornua prona; cruentant  
Rivales erēcta Mares; Ariesque superbis  
Cum ſemel armatam ſibi frontem intelligit, acri  
Percitus invidiā rixas æternaque miscet  
Prælia: pugnaces hac comprimet arte Magister.  
Exiguam clavis tabulam transfigat acutis;  
Rixosique Maris media inter cornua, verso  
In frontem mucrone, liget: galeatus in hostem  
Irruit, atque pedes Aries ſublimis in imos  
Cervicem cervice ferit, ſed fauoris iectu  
Ipſe ſuo, cornu jam non armenta fatigat  
Pacis amans, armisque timens fatalibus uti.  
Tu gregibus cornu[m]utilum præpone regendis:  
Ille colet pacem, ſociosque quietus inermi  
Fronte mares feret. Uxores adjunge marito  
Nec vetulas, Agnasque meras: ſenioribus instat



Proxima mors , teneræque fides incerta juventæ.  
 Ætas illa tamen potior quam lata futuri  
 Spes sequitur , quām cui mors imminet , atque se-  
 nectæ

Præstat in armentis etiam primæva juventus.

Egressus stabulis aries præcedit , & illo  
 Sub duce gramineis pecudes spatiantur in agris.  
 Ingreditur prior ille viam , seu vespere pastor  
 Cogat Oves , seu cum ferventior æstuat aër ,  
 Compellat pecus in valles nemorumque latebras ;  
 Seu tenues pedibus rivos amnemque phaselo  
 Trajicere , aut pontes opus est intrare trementes ,  
 Angustamque levi fossam transmittere saltu.  
 Usque adeo est gens illa sequax , ut sicubi torto  
 Corpore dux Aries saltu micat altus , ibidem  
 Subsiliant omnes piano vel in æquore matres.

Semimares herbosa suo quoque pabula tondent  
 Sub duce Verveces ; gregibus non ille regendis  
 Præficitur , quia nobilior , quia vellere dives ,  
 Aut ætate gravis longoque scientior usu est ,  
 Sed veluti dominos inter rerumque potentes  
 Evehit ad summos favor inconsultus honores ,  
 Sic suus in pecudes aenor est & prona voluntas  
 Pastoris , pecus omne duci qui subjicit , unumque

Eligit è numero quem tota armonta sequantur.

Dicit & ad lanium quoque perfidus ; estque benignas

Inter Oves proprii generis qui proditor , ulro  
Triste ministerium subeat mercede solutâ ;  
Nam reduci sperata solet dare munera Pastor  
Exiguam Cererein , dulcis vel grana Cumini.

Per juga reptantes cursu prævertere Capras  
Muneris Hirce tui est ; sed vix tardante podagrâ  
Lenta moves agiles inter vestigia matres.

Dura voluptatum merces quas Hædus ab annis  
Sectatur teneris ; nudo vix barbula mento  
Exoritur , ne cum rupcrunt cornua frontem ,  
Imaque jam tacitæ gliscunt in viscera flammæ  
Atque hinc invalidum premit immatura senectus  
Quæ ligat , & tetris infestat membra venenis :  
Inde piger , morbosus , iners , & inutilis ævi  
Ingrato fœtore greges atque aëra circum  
Inficit , & tristem propero dat funere vitam.

Non eadem placet esca Ovibus Caprisque ; per  
altos

Repit enim montes , & saxa per aspera tutas  
Capra vias agit , & projectos pendula ramos  
Ac Cythisum ruminatur : Oves campestria quærunt ]

Pascua , nec sylvis gaudent ; sylvestria lanis  
 Officiunt , floccosque tenent vepreta revulsos ,  
 Quæis lateos sternit nidos operosa volucris.

Optima sæpe tamen longo fastidit ab usu  
 Pabula grex , pinguique macer tabescit in agro.  
 Obsonare famem sale ; vel campestria mutans  
 Pascua , quære novas siccis in collibus herbas :  
 Nam diversa placent nostris ut fercula mensis ;  
 Sic inarata greges salebrosoaque culmina campis  
 Gramineis ultro mutant ; nemorumque virenti  
 Fronde levant quæ pingue parit fastidia pratum.  
 Inprimis ubi post imbræ hyememque quotannis  
 Vere solent æstiva greges ad pascua duci :  
 Nam , zephiro redeunte , sinus fœcunda tepentes  
 Vix aperit tellus , longis balatibus , instant  
 Lanigeræ pecudes , & non oblita reposcunt  
 Gramina , nec carpunt avidis jam mortibus her-  
 bam.

Velleribus nudantur Oves cum vere peracto  
 Hibernâ sub veste pecus jam sudat , odorem  
 Artubus ingratum spargens : tellure jacentem ,  
 Transversosque pedes nodoso fune revinctam  
 Tonsor Ovem lanâ spoliat ; nec ovilia tristi  
 Balatu resonant , uno sed forficiis iactu :

Vix querulo dolet ore Bidens , licet altius imâ  
 Abs radice secans lanain det grandia tonsor  
 Vulnera , queis trito durus carbone medetur;  
 Nec crassum leviore manu dignatur olivum  
 Atque picem liquidam sœvis infundere plagis ,  
 Nudatumque pecus fluvio mersare salubri.

Lanigeras tonsurus Oves solemnibus olim  
 Vicinos mensis adhibebat ; & inter Jacchi  
 Munera cum blandis solem condebat amicis :  
 Quæ dulces epulæ flavâ cum messe redibant ;  
 Et gravidâ rursum descendens Bacchus ab Ulmo  
 Læta redonabat festo convivia pago.

Nunc aliò res versa ; bono sed denique vultu  
 Europa pax alma beans pax aurea ruri  
 Gaudiaque & risus , & fertilitatis honorem  
 Restituet : Cælo pax candida labitur alto ,  
 Quam sequitur pietas & pleno copia cornu :  
 Et jam diva potens hominum componere lites  
 Alta vagis Regum lustrat palatia pennis ;  
 Nec frustra monet ut populorum parcere vitæ ,  
 Pacatoque velint nunc demum vivere mundo.  
 Ergo terribilis jam non clangoribus aures  
 Flebile pulsabit cornu ; sed rustica passim  
 Fistula Pastorum teneros cantabit amores :

Libera securis decurrent æquora velis,  
 Solaque ventorum metuent fera prælia nautæ:  
 Et sua condendis nunc messibus arcta Colonus  
 Horrea mutatis secum mirabitur annis.  
 Florebunt studiis urbes; sua præmia doctis  
 Frontibus, & scriptis honor & laus prisca redi-  
 bunt.

Quamquam non sileant longa inter bella Ca-  
 menæ.

Auspice Bignonio, qui sacri regia Pindi  
 Sceptræ tenet meritis & avitâ laude, suisque  
 Edocet exemplis magno quos nomine vates  
 Præsidioque juvat. Phœbi Themidisque sacerdos  
 Jura quoque, & doctas curis amplectitur artes:  
 Illius auxilio seſe natura videndam  
 Explicat in plantis; oculis non invia nostris  
 Sydera metimur; cæcas scrutamur aquarum  
 Ventorumque vias: vivo quoque marmore vultus  
 Reddimus; ac veteri, quem Græcia jactat, Apelli  
 Nostra vetustatem præter nihil invidet artas.  
 Et patriæ novus usque lepos, nova gratia lingue  
 Accessit duce Bignonio; nec latiūs arma:  
 Quām sermonis opes toto diffudimus orbe:  
 Ille vel absentes acuit, nostrumque recenti

Fœdere

Fœdere Monspelium Parisinam adjunxit ad urbem;  
 Sequanicos ut Lamonio supplente lepores,  
 Ingenuæ studiis vigeant communibus artes.

Sed nos interea pecudes & rura sequamur.  
 Purgandum canerem vellus, calidisque trahendum  
 Pectinibus; nec pensa colis affixa filerem;  
 Quoque modo niveo deductum pollice filum  
 Attritum, variosque sequax glomeratur in orbes,  
 Insertumque levi radio, digitisque remissum  
 Mobilibus, plexo densat subtegmina tortu.  
 Lanificæ sed non deerit qui plurimus artis  
 Delicias amet, & pecten moderatus aduncum  
 Carminibus referat blandis, quæ sedula Virgo  
 Pingit acu tenui: nobis memoranda supersunt  
 Multa Ovibus super, atque Ovium custode Molosso.  
 Plura magis quam magna tibi dispersa remotis  
 Sint armenta locis; ut graminis herba per omnes  
 Absumatur agros; nec Oves via longa fatiget;  
 Nec pecus omne cadat, tractu si pestis in uno  
 Sævierit, nondum terras grassata per omnes.  
 Quæ fragili metuenda magis contagia Capræ:  
 Namque Ovium sensim grex deperit; omnia morbi  
 a Scientiarum Acadmia Monspelii nuper authore  
 Illustrissimo Bignonio instituta, societate gaudens &  
 privilegiis Academiae Parisinae.

Corpora nec solvunt: sed opimam hilaremque  
gatim

Lugebis subitâ prosterni clade Capellam

Hoc ubi, quem tabes invaserit horrida, claudes  
Intra septa gregem; Cannæque palustris, & alba  
Radices Spinæ tritas pluvialibus undis  
Immiscens, ægris potū medicabere Capris.  
At tristes si non valeas depellere casus,  
Una salus nullam pecoris sperare salutem,  
Atque improvisas ferro prævertere mortes;  
Et sale, si pretio careant, contingere carnes,  
Dein aliud reparare gregem, cum lethifer annus  
Cesserit, & melior cælo spiraverit aër.

Est ubi miscet agens pecora omnia Pastor, Oves-  
que

Cum Suibus junctas uno compellit Hibisco.

Atqui glandiferum nemus & frondosa sequuntur  
Rura Sues; sylvasque Bidens exosa, patentēs  
Tondet agros, nec amat rivotum littora, magnis  
Quæ scrobibus gaudet fossor concidere Poreus.  
Ille volutabris fruitur cœnoque; lutosam  
Vix summis hæc ausit humum, contingere plantis.  
Exertos alterna Sues in vulnera dentes  
Semper habent: Ovis ingenio nil mitius; una

Gramineis pascuntur agris , glomerantur in or-  
bem

Spissius , & medios ubi densior umbra per æstus  
Defuit , alterius caput altera subjicit alvo.  
Si cui per campos se fertile gramen eunti  
Obtulerit , pinguem sociis non invidet herbam  
Commoda sola sibi ; pleno sed rauciùs ore  
Balitar , & meliorem alias invitat ad escam.

Non rixæ non bella vigent ; vallesque per imas  
Si quando adverso visum est decernere cornu ;  
Fronte licet frontem quatiant , & rursus in ictum  
Pendentes , sublime caput jaculentur in hostem ;  
Vicinâ gaudet Custos è rupe frequentes  
Assultus , longamque videns sine sanguine pug-  
nam.

Et si forte graves procedant longius iræ ,  
Non opus est baculo rixam placare sequestri :  
De grege nam medium sese bellantibus offert ,  
Pugnam interposito dirimat qui corpore Vervex.  
In Sue naturam viuunt furiosa voluptas ,  
Fœdaque spurcities , & edendi tanta cupido ,  
Ut sobolem , stimulante fame , voret impia Mater.  
At pecudes Ovis ante alias & diligit Agnum ,  
Et stabulo clausum balatibus usque reposcit.

Quā quis Matre satus ( cum sit color omnibus unus

Nec facies diversa ) licet dignoscere Pastor  
 Non valeat ; sobolem Mater , caramque vicissim  
 Progenies tacitā novit pietate Parentem :  
 Nam simul ac pastu reduces ad ovilia cogit  
 Vesper Oves , lēti plaudunt venientibus Agni  
 Matribus , & caudā visi gestire trementi ,  
 Balatu tenero dant accipiuntque salutem.  
 Nec mora materno pendentes ubere , longam  
 Compescuntque sitim desideriumque videndi.  
 Sus autem ( nisi cura fuit signare colore ,  
 Atque alias aliis formis inscribere partus ,  
 Porcellosque suæ quoscumque affigere Matri )  
 Exporrecta solo , Catulis dabit ubera notis  
 Ignotisque , suæ nullo discrimine prolis.  
 Non illam benefacta movent ; altāque Subulcus  
 Maturam baculo cum decutit Illice glandem ,  
 Sus ingrata manus nunquam suspestat amicas.  
 Pastor Ovi contra si cui blanditur , & escam  
 Obculit ipse manu , vestigiaque ægra trahentem  
 Imposuit collo ; circumstat & immemor herbæ  
 ( Quod transversa tuens Canis invidet ) hæret eum  
 Pida comes simul & viridi requiescit in umbrâ.

Ergo

Ergo Sues Oviumque gregem sejunge ; nec iisdem,

Quæ pecudes abeunt studia in contraria , Pastor  
Cogat agris , Porcoque greges inhonestet ovili-  
os.

Sætigeros herbosa Sues vel in arva subalces ,  
Aut altos agat in lucos ; atque inter agendum  
Sæpe vocet cornu , sparsumque recolligat agmen.  
Imprimis ubi Sus avido nigra tubera rostro  
Rimatur , glebasque sagax scrutatur odoras.  
I , propera , cave ne sulcos agat altius ; atramique  
Expletat ingluviem dapibus quas condit avaro  
Terra sinu , quibus & mensas ornabis heriles.

Transversum si forte gerens obliipa caput Sus  
Per medios subitâ vertigine concidat agros ,  
Sub caudâ trépidam Pastor fecet illico venam :  
Sed pungenda prius faremento tergora molli  
Verberet ; ut pateat virgæ ferientis ab icta  
Vena tuniens , neque jam ferrum declinet adage-  
tum.

Corticulis religet detraicto sanguine vulnus :  
Dein trahat ad slabulum ; cornuque patentia re-  
nos

Fundat in ota garicyathos , & pinguis clausæ

Nutrimenta Sui tepidis dissolvat in undis.

Vespere ne Scofras, Ovium de more, gregatim  
Claudat, haræ sed quamque suæ, mundoque eu-  
bili;

Namque volutabris fœdissima bellua quanquam  
Gaudeat, atque ipsa spurcè versetur in escâ;  
Sordibus, & stabulo tamen afflictatur aquoso.

Et Suis infestat fauces angina; caputque  
Struma gravat; lepra squamosos contaminat  
artus;

Tussis anhela latus quatit; & lactentior alvum  
Graminis herba citat: quibus auxiliabere morbis;  
Nam fœdo pecori medicas adhibere recusat  
Musa manus; Canibusque suas impendere curas  
Ardet, & indictos non prætermittere mores.

Sed non una Canum species: pars nare sagaci  
Utilis est; substicta gerens pars ilia, cursu  
Prævolat, & certos prædam tibi fistit ad ictus.  
Pars animis & dente valet, torvumque Leonem  
Aggreditur, rabidosque Lupos: pars nata domorum  
Excubiis, gressum & mensam sectatur herilem,  
Obsequio faciles alii mandata capessunt,  
Imis insistunt pedibus, plauduntque Chores  
In numerum, jussos agili dant corpore saltus,

Et vacuas populosa tenent per compita mentes.  
 Hic levis ad cursus , abdōmine tardior alter.  
 Ille rotā verubus fixos versabit ab altā  
 Quos alius laxo Lepores venabitur agro.  
 Est etiam tenui præstans brevitate Catella  
 Quam blando Matrona sinu fovet , unde procaci  
 Latratu Dominā furit iracundior ipsā.

Jamque Canes inter duris venatibus aptos ,  
 Pars juga vestigat , pars militat æquore plano.  
 Rara Lupos alius Cervosque in retia trudit ;  
 Ille Coturnici melior , Perdicibus alter :  
 Hic sequitur Lepores ; eviscerat ille , soloque  
 Adjacet invigilans prædæ , Dominumque moran-  
 tem

Increpitans : cæsas alius fert ore volucres ;  
 Et plumbō transfixus Anas , & ab ætere lapsus  
 In fluvium præceps ubi decidit ; ille natatu  
 Findit aquas , Anatem tollit , Dominique reponens  
 Ante pedes , plausā gaudet cervice , jubamque  
 Excutiens latè rorem dispergit in auras.  
 Est humili qui radit humum depresso alvo ,  
 Demissæ pendent aures , sursumque retorta  
 Nare sagax rimatur agros , & odora ferarum  
 Ac voluctum presso sequitur vestigia rostro.

Inventas non ille feras latratibus urget ;  
 Sed silet, & campis huc indefessus & illuc  
 Cursitat, ac notos ubi naribus haust odores,  
 Hæret, & immotus immobilis ipse Volucres  
 Usque tenet, Dominumque manet qui retia campo  
 Explicet, involvens ipsum volucresque, retentis  
 Serius heu ! clausum tentantes aëra pennis.  
 Ergo capta manu ( visu miserabile ) Perdix  
 Ingemit, & vitam lachrymis exorat obortis :  
 Voce feras alius contra , cursuque fatigat ;  
 Pes illi gracilis , longa internodia crurum ,  
 Cauda retro profusa , aures oculique micantes ,  
 Argutum caput , & levibus vis ignea plantis ;  
 Demissumque brevi pectus se colligit alvo.  
 Præstat uterque Casis venatibus , ille fugaces  
 Qui pedibus Lepores , hic nare sequatur odorâ .  
 Agricolæ neuter placeat ; Dominoque relin-  
 quens

Venandi studium , melioribus otia curis  
 Impendat ; multoque sibi paret ære Moiossum \*  
 Quo custode domos securus & arva relinquat ,  
 Qui pecori fidus coines adsit & ulti eunti ,  
 Excubitorque vigil pernoctet ovilia circum ,  
 Et sues si qui plenis subrepere caulis

Tengabunt, vel voce fuger vel dente fæcessat.  
 Olli cauda brevis, breve rostrum, turpe vel ipsa  
 Mole caput, demissæ aures, hirsutaque villis  
 Pectora; pes, humeri, collum, torus, omnia vasta;  
 Quin etiam vasto procul intonat ore Molossus,  
 Latratuque prius, tum visu terret, in ima  
 Terga sedens, dentes rictu si quando trementi  
 Nudat hians, strictoque nimis obmurmurat ore.

Dat natura quidem, tamen arctior hos quoque  
 mores

Disciplina facit; primoque docentur ab ævo  
 Trita Canes duris assuescere colla catenis.  
 Ingenium tamen esse decet nec mitius; ipsos  
 Blandus enī custos fures non allatrat, esca  
 Captus & illecebris dextræ pa'pantis amicè.  
 Crudeli nec rursus erit Canis indole; morsu  
 Ne premat incautos, & amicum invadat & hostem.  
 Blanda Venus Canibus non permittenda tenellis;  
 Pulchraque furtivo si fœmina cedat amori,  
 Materno primos clam Pastor ab ubere partus  
 Amoveat: neque enī recte tiruncula prolem  
 Educat; & primis infans ubi mater ab annis  
 Lactavit, vastos jam non excrescit in artus.  
 Amisos quamvis repetat queribunda Catellos.

Nil miserere ; breves capit ætas illa dolores.

Huic paribus liccat tantum colludere , cursusque  
Exercere vagos : subductam protinus ægro  
Pectore deponit sobolem ; densisque procorum  
Agminibus quæsita , novos meditatur amores ,  
Atque novâ fit prole parens . Tibi felige binos  
E numero ; neque enim plures alet ubere fœtus .

Sin autem manifesta sui dat signa Catellus ;  
Eligat ipsa parens : tu quâ ratione probatos  
Matribus agnosces , huc in mentem adverte , doccebo .  
Arida ligna solo magnum curvabis in orbem :  
In medio Catulos statues ; matre inque vocabis ,  
Admoto prius igne : parens hortamine vocis  
Sed mage natorum volat accersita querelis .  
Hos ut ab igne videt cinctos , auditque gementes  
Jam propior ; casu tanto perterrita , flammis  
Insilit in medias ; patuloque innoxia rictu  
Nunc illum , mox deinde alium , totamque periclo  
Liberat instanti sobolem . Quos illa priores  
Eripuit , sepone Canes ; aliosque peremptos  
Abjice : mater enim virtutis conscientia , prolem  
Egregiam properat mediis educere flammis .  
Depulso à lacte cibis jam pasce Catellos ,  
Grandia qui fovent generoso corpora succo .

Dicitur arceri rabies , si dente revellas  
 Compressum modicè nervum , qui ductus ab altis  
 Articulis spinæ caudam procepit ad imam.  
 Dentibus innocuis ludens lasciviat unam  
 Mordicus in matrem Catulus ; sed viribus impar ;  
 Non hominem , grandes non emittatur incrimi  
 Dente feras contra : latratu nuntiet , ætas  
 Dum robusta sinat morsu prosternere furem ;  
 Ne malè multatus nodoso fuste , timorem  
 Concipiat quem dein plenis non exuet annis.  
 Pastorī dabitur Canis armillatus , Ovilli  
 Auxilium gregis , & vitæ solamen inertis.  
 Elige qui longi sit corporis , atque coloris  
 Unius albentisque : Lupum ne vespere Pastor  
 Fuste sequens , dubio præceps errore , Molossum  
 Impetat. Ad cursum pariter rixamque paratus  
 Sit pedibus velox , animisque valentibus audax ;  
 Raptoremque Lupum juga per nemorosa secutus ,  
 Excutiat prædam , & laceratum vulnere multo  
 Furem abigat saltus ululantem triste per altos.  
 Atque acie redeat ne saucius ; hispida ferro  
 Colla gerat , quâ parte Canes invadit inermes  
 Interimitque Lupus. Cæco ruit impete prædo  
 Pastorisque dolos , & torqueim oblitus aduncum ;

Læditur ipse suò morsu; terramque cruentant  
Rorantes jam non alieno sanguine fauces.

Non illo custode Lupos , non tædia Pastor  
Longa timet : lateri comes & defensor amico  
Usque Molossus adest, & Hero famulatur , Ovesque  
Communi Regit imperio ; blanditur , amatque  
Blanditas Domini ; sua gaudia ducit ab illo  
Tristitiamque : viri non est vir amantior ; arcta  
Res fuerint , miseræque domi ; crudelis amicos  
Sors & opes rapiat , non auferet Arbitra rerum  
Quem Dominus Canis æternum devovit amorem.

Obstupuit quoniam destrusi in vincula Sabini  
Roma Canem , nullis abigi qui carcere plagis  
Cum potuisset , Heri vitam nec dentे tueri:  
Damnatâ postquam caput abs cervice revulsum  
est ;

Defuncto insens intonsabile facum  
Mœret ; & ex alto dejecum ponte cadaver  
Subsequitur , Tiberim præceps se mittit in annem;  
Et dorso exanimum sustentans impate truncum ,  
Maluit in mediis occumbere naufragus undis ,  
Quam Domino superesse suo. Romanus ab altis  
Prodigium ripis plaudens spectabat , amorem  
Infractamque fidem Cane demiratus in uno.

Nec minus ultorem Galli stupuere Molossum.  
 Æternum facti monumentum Curia pictis  
 Servat adhuc muris : nudos in imagine dentes  
 Exerit, & lacero victor **Canis** insidet hosti.  
 Illius ante oculos Dominus clam vulnere cæco  
 Concederat multo fundens cum sanguine vitam  
 Visus deinde **Canis** mediâ sicarius aulâ  
 Vindictam stimulat, memoresque resuscitat iras.  
 Ergo virum sipe more volens invadere, morsu  
 Latratuque reum manifestans indice, pœnam  
 Flagitat; impatiensque moræ, furialibus ausis  
 Imperit; & quanquam procederet ille sub armis;  
 Solaque contegeret pietas atque ira Molossum:  
 Vicit causa tamen; vires seu fortè manumque  
 Fregerit enervem taciti mens conscientia facti;  
 Seu placuit superis **Cane** plecti vindice crimen.

In Dominos peccasse **Canem** quoque pœnitet:  
 ædes.

Nuper enim cum forma viri laryata subiret;  
 Insurgit **Canis** ore ferox, & nescius ipsum  
 Lædit Herum: scisso Dominus velamine tristes  
 Scruis heu! retegit vultus; & vulnera monstrat  
 Ignoscenda; suis ignoscere, siquid amantes  
 Delictis possent. Vitam lucemque perolus

Delituit , certusque mori Canis horrea Bacchî  
 Cæca petit , cupâque gemit sine fine sub altâ.  
 Indulgens veniam Dominus compellat amicâ  
 Voce Canem ; sed tristem acuit vox cognita luctum ;  
 Nec nisi per lacrhymas & lugubres ululatus  
 Respondens latet usque ; dies noctesque dolorem  
 Ingeminat , dapibusque negans producere vitam.  
 Jejunos mœrore dies absunit acerbo.

Ite modo , tantos capiant animalia sensus  
 Et certis sine consiliis sine mente ferantur ;  
 Sed moveant se a bruta , suis ut machina nervis.  
 Dicitur huc illuc , ut acus magnetica miris.  
 Irrequia modis partes se versat in omnes ,  
 Donec hyperboream tandem respexerit Arcton.

Scilicet usque Canis Domino famulatur , herilem  
 Observat docilis nutum , mandata facessit ,  
 Atque feræ spernens ultro vestigia , vallis  
 Occupat angustas obliquo tramite fauces ,  
 Præcurrit Lepores , & in æqua plana reducit  
 Ut Domino captæ sit honos & gloria prædæ :  
 Nunc hilari congaudet hero , nunc tristior ægro  
 Assider , & socias vindex assurgit in iras ,  
 Ponè subit comes assiduus , Dominique sepulchro  
 a Carthesius Epist. 47.

Immoritur; neque quid sit amor, quid gratia novit!

Hæc agitent secum vacuæ deliria mentes,  
Quæs licitum fuit ex uno vel simplice motu  
*b* Materiæ in quadrum sectæ diffundere terras,  
Et Maria, & Cælum, & spectabile quidquid in orbe  
est.

Qui potuere levi de pulvere fingere *c* Solem,  
Nostraque pacatis ascribere prælia *d* Stellis  
Quas aliis alias concurrere, duraque cælo  
Bella movere volunt, regnique extendere fines,  
Aut subigî, alteriusque sequi per inania morem,  
Incertasve loci propriâ fine sede vagari,  
Qualis vicino jam turbine victus oberrat,  
Dira suo casu portendens fata *e* Cometes.  
Qualis &, astrorum quæ decidit ordine *f* Tellus  
Lumine cassa suo, Phœbique absorpta rapacis  
Vortice, jam cælo sequitur victoris ovantes  
Solis equos; tentatque in pristina jura redire.  
Nam si vera canunt fatalibus abdita crustis  
Terra potest fracto reparare putamine lumen,  
Nosque repentinis ardens involvete flammis.  
At contra *g* Phœbo metuunt, crescentibus olim

*b* Carthesius parte 4. princ. § 2. *c* Idem p. 3. princ.  
§. 54. *d* Ibidem. §. 119. *e* Ibidem. *f* Idem. p.  
4. princ. §. 2. *g* Idem. p. 3. princ. § 94.

Ne maculis , radios & inextricabile lumen  
Amittat penitus , tenebrisque obnubilet orbem.  
Ludat & in brutis , cælo qui lusit in alto  
Carthesius novus astrorum fabricator & orbis  
Egregius fector. Tu Rustice vana Sophorum  
Somnia contemnens animalibus utere , laudans  
Ingenium , & docilem præcepta faceſſere mentem:  
Nec pudeat facti niemorem ſociumque fidelem  
Propoſuiffe Canem famulo ; natosque vel ipliſis  
Exemplis domiti Bovis emendaffe rebelles.  
Nocturnum vario recreans ſetimone laborem ,  
Vespere ad hybernos redeant tibi ſæpius ignes  
Triftior atque gemens amiffo compare Tuttur;  
Fida Columba viro , patrumque Ciconia nutrix.  
At neque melliferæ , durique laboris amantes  
Omittantur Apes , & quæ forinica tuendæ  
Si non auxilium , documentum est utile vitæ.  
Ingenium , & gentis varias ediffere curas ,  
Gaudentes pueri circum narrantis ab ore  
Pendebunt , tacitumque bibent virtutis amorem.





V. Lib.



L. M. Dumernil d.

I. E. Cars f.



P R A E D I I  
R U S T I C I  
L I B E R V.

Q U I D moror arboreos scrobibus deponere  
fætus;

Irriguis Pomos hortis traducere , montes  
Quercubus , & colles Oleā vestire supinos.

Jugis aquæ fontes, horti, decora alta domorum  
Et pecus , & ruti faciunt quæ cætera famam ,  
Omnia sufficiunt labor indefessus & aurum ;  
Longa sed annorum series pomaria fructu  
Nobilitat; celsaque pigros tegit Abiete campos .  
Quare age si nudo placet umbrā accersere fundo ,  
Pomaque curvatis olim decerpere ramis ;  
(Dulcis enim ex illâ quam severis arbore fructus )  
Insta operi , plantasque solo defige feraces ;  
Elice vel sterili natum de stipite fructum ,  
Dives adoptivo pariet quem germine truncus .

Huc ades ignaris mecum succurre Colonis,  
 Quæque domi servas, studii monumenta paterni,  
 Scripta super plantis in publica commoda profer  
**LAMONIDE!** genitor nam cum tuus alta teneret  
 Regna fori, sacræ Themidis legumque supremus  
 Arbiter, ad curas animum demisit agrestes,  
 Hyssopumq; novus Salomon Cedrumque secutus  
 Arboribus morem imposuit populisque, severas  
 Judicis oblectans ruris moderamine curas.

Quæ decreta tulit pater optimus, illa Senatus  
 Judicii normam sibi servet habenda, virumque  
 Temperet hinc sortes, & publica fata gubernet:  
 Nosque Bavillæo quas idem rure colendis  
 Arboribus leges dabat & præcepta, sequemur.  
 Optima præripuit **RAPINUS**; sed tamen inde  
 Accipient & nostra suam pomaria laudem.

Vivacem interea quam prætermisit Olivam  
 Hinc canere aggrediar: neque enim est quæ, pal-  
 lida quanquam:

Blandius agricolis arbor spectetur avaris;  
 Sive racemato faciat spem flore, nigrantes  
 Prædiga seu fœtu curvaverit ubere ramos.

Qui tepidos exilis ager conversus ad Austros  
 Nec fabulo mæcer est, glebâ nes pinguis opim,

Ille ferax Olearum ; illum concide cavatis  
 Ante hyemem scrobibus : simili de colle potitam  
 Sponte suâ dabit ipsa patens in semina prolem,  
 Quæ fructicat passim sub amicâ junior umbrâ.

Materno licet illa finu divulsa parentem  
 Contristat ; sobolem genitrix radicibus ultro  
 Donans ipsa suis teneram bona dotat Olivam.  
 Parce senescenti matrum de corpore semen  
 Toliere : languentem stirps conficit eruta trun-  
 cum ;

Et licet effœtam numerosâ prole senectam  
 Præcipitant Oleæ passim ; quod pullulat ingens  
 Abs radice nemus , primo corrodat in ortu  
 Grex Ovium ; nitidosque tibi grandesque putator  
 Spem lapsi generis totâ legat arbore ramos ;  
 Atque apice & folio cæsis , nudumque redactas  
 In truncum , scrobibus p'antas demittat apertis.  
 Sed caput ante luto velet , muscoque virenti ,  
 Et vinclis constringat ; hyems ne frigore venas  
 Occupet , & totâ defæviat arbore pestis.

Illa tamen cum vix surgant plantaria campo ,  
 Radicem veteris malim deponere trunci ,  
 Falce vel impactâ generosos lædere ramos  
 ( Nam proles ipso de vulnere nascitur ) agrisq;

Obtruere incisos ferro , primamque parare  
 Arboribus segetem : sobeli quoque præstat ha-  
 bendæ

Devovisse senes Oleas ; truncoque reciso ,  
 Vivaci de stirpe satis educere plantas ,  
 Et rigidis contra pecudes defendere spinis.

Gaudentem clivis Oleam ventoque feraci:  
 Proderit à pluviis altè suspendere , solem  
 Ad medium , & laxis spatiis utrinque viarum ;  
 Ut ramos succo tellus alat ubere truncos ,  
 Et pathlas latè quondam protendat in orbem  
 Grandis Oliva comas . Nam quæ succrescit ia-  
 altum-

Læta quidem virer ; at ramos evanida fœtus  
 Parturit , & solâ foliorum exuberat umbrâ :  
 Incipe & hanc primis formam compone sub annis .

Altior emineat truncus , ne pondere curvas .  
 Possit edax pecus à terrâ contingere frondes .  
 Erecto viden? ut collo sublimis in imos  
 Attollit se Capra pedes , si fortè diebus  
 Æstivis humiles inter claudatur Olivas .  
 Dilue fœda Boum cœnosis stercore lymphis ,  
 Quasque faus per se satis haud defendit amaror ,  
 Ingrati tutare comas aspergine rogis .

Si dorso facilis fleti decedit iniquo,  
 Vel nimiis agitatur iners arbuscula ventis;  
 Quercus opem prope fixa dabit, rectamque do-  
 cebit

Acres stare Notos contra Boreamque furentem.

Ne dubita sterilem ferro rescindere frondem.  
 Quæ mediâ reliquas inter caput arbore tollit  
 Altior, & totos ad se vocat Improba succos.

Tempestivus ubi nimbis se funderit imber,  
 Sollicitatur humus, vel in altos edita circum-  
 Congeritur cumulos; vel complanatur; & imis  
 Stirpibus injicitur simus: his tamen excita curis.  
 Tarda venit fructum paritura nepotibus arbor.  
 Humanæ ceu mentis opus, quod secula vincit  
 Durando, crescit lentè, multosque per annos  
 Perficitur sensim, neque prodit ab impete primo.  
 Ingenii ferventis; humus sic lenta laborat  
 Nobiliore sinum si quando semine foeta  
 Cogitat ad seros partum transmittere natos.

Jam primis Oleæ incipiunt nigrescere baccis;  
 Durior ah? fragiles ne rumpat pertica ramos,  
 Laetea dum teneris adolescit frondibus arbor:  
 Atque utinam tristi quondam non vapulet ictu,  
 Aspicis alternis quam pallida langueat annis,

Exhaustæ quia deficiunt per atrocia vires  
 Vulnera, non sœtu quod ab uberiore quietit.  
 Qui manibus legere, & scalas adhibere Colomus  
 Negligit, adversam feriens ne cædat Olivam;  
 Sed quatiat gravidas obliquo verbere frondes;  
 Et de concussâ: quem depluit arbore, fructum  
 Excipiat telis; sero tum vespere baccam  
 ( Triticeas levibus segetes ut ventilat auris.)  
 Jactet in adversos spatiū per longius Euros;  
 Et nitidas fine fronde domum conveget olivas;  
 Continuòque molis, ubi cessant præla, terendas  
 Subjiciat: neque enim credam sub tecta morando  
 Proficere, atque oleum ex putribus concrescere  
 baccis:

Si servanda domi toto fit oliva decembri  
 Cura fit, aut longas spissè contexere cannas  
 Vel declive solum pendenti sternere faxo;  
 Nigra fluens ut amurca, suo quam pondere pressa  
 Exudant oleæ, lacubus cogatur; & ægris  
 Injecta arboribus potu medeatur amico.

Cui magis est olei bonitas quam copia cordi,  
 Offibus infractis faxo quassabit olivas:  
 Tu leviter suspende molam quam verset Asellas;  
 Fractaque contritis prælo cum carnibus offa

Subjice : neu dulcis quid desperdatur olivi  
 Ferventes adhibe lymphas ; aqua namque tenaces  
 Dissocians Oleæ partes , extrudit olivum ,  
 Quod vasis dein exercens capulator , amurcā  
 Liberat , & nova transfundens in labra resolvit .

Arbore jam nimium , reliquarum oblitus , in una  
 Demoror , & patriæ dulcedine captus Olivæ ,  
 Non video quæ se circumtulit undique sylva  
 Quæ situra locum : querulis obmurmurat Ulmus  
 Frondibus ; arrident blando pomaria fructu ;  
 Atque superba ducum spoliis querceta minantur  
 Tristia fatidicis oracula fundere ramis ,  
 Ni propriæ steterint sibi sedes : ergo per omnes  
 Ite juvat species ; nullum genus ipsa recusat ,  
 Quæ nobis placido colitur sub sydere tellus .

Principio nemoris quæ forma modusque ferendi  
 Expediam paucis ; neque enim nos publica tangit  
 Sylvarum priscos tenuit quæ cura parentes :  
 Grandibus ornabant illi sua prædia lucis ;  
 Et quanquam populosa nimis tunc Gallia cives  
 Vix aleret , regno profugam discedere gentem ,  
 Atque peregrinos aliò deferre penates  
 Maluit , excisis viënum quæm quærere sylvis .  
 Hæc ubi jam nemorum reverentia tanta , bipennes

Ut teneat ! nostros ubi grandior ulla per agros  
 Quercus ad annosam , ferri secura , senectam  
 Durat , inaccessis nisi confita montibus , ipse  
 Se munita loco tueatur : si qua supersunt ,  
 A patribus nemora ad seros transmissa nepotes ;  
 Illa nec æstivo frondent impervia soli ,  
 Nobile nec cælo caput abdunt , qualia quondam  
 Vulgus adorabat truncis procera verendis ;  
 Sed veteri de stirpe novo surgentia ramo ,  
 Et quatuor post lustra nigris arsura caminis ;  
 Vix Lepori hospitium præbent , sylvestribus olim  
Quæ timidos latebris Damas Ursosque tegebant  
 Ecquis honos ruris ? nemorum si gratia desit ,  
 Obsessusque domi mancas cum sirus ardens  
 Debacchatur agris : viridique sub Ilicis umbra  
 Fessa nec irriguo possis dare membra sopori ,  
 Pascere nec studiis animum , volucrumque  
 noris

Vocibus , aut tacito tecum gaudere recessu :

Quas tamen ipse manu Quercus deponere terribilis  
 Aggrediere , tuos non exorientur in usus ;  
 Nec tibi sed retro venturis consere seclis .  
 Prisca Tolosani quæ fundamenta theatri  
 Vasconidum pulsat fluvius regnator aquarum ,  
Fractum

Fractum ætate senem vidi , quo clarior alter  
 Non pietate fuit , medicæque peritior artis :  
 Hunc doctis inimica viris fortuna benigno  
 Cœperat ore tamen seris spectare sub annis ;  
 Atque hominem tenui fundo donaverat ; agros  
 Hinc amat ; atque suæ jam non memor amplius  
 artis  
 Arboreos curat tantum medicamine fœtus.  
 Rus hominem multi convenimus ; ille per omnes  
 Circumducit agros , iterumque iterumq; remensis  
 Prædioli spatiis , miro dum captus amore  
 Singula prosequitur ; querulosque , loquacior ipsa ,  
 Laudat aquæ rivos , & oluscula mixta Rosetis ,  
 Nescio quis sylvam desiderat ; ille sub horto  
 Monstrat agrum , glandesque satas , & inania secum  
 Vota sovens , hæc illa , inquit , me sylvula quondam  
 Excipiet ; riguis hic fontibus obstrepet Ilex ;  
 Nascentisque fruas geminato frigore rivi :  
 Desuper in pleno positam via commoda sylvam  
 Dividet , & mediâ gaudens spatiabor in umbra .  
 Errorem gratum nos extorquere , senique  
 Objicere ad tumulum vergentes cavimus annos ;  
 Felicis neque enim refert ad gaudia vitæ ,  
 Veræ sunt anvana , quibus latamur ovantes ;

Tu ventura tuas extende in secula curas,  
 Quisquis humo querceta seris : nisi vita supersit  
 Quanta sat est placidis tenebrosa recessibus olim  
 Ut nemora aspicias, umbrâque fruare sub altis  
 Arboribus, quarum faciliter tu semina terræ  
 Prima dabis ; plantas saltem gaudebis opacis.  
 Exultate comis, tenuesque assurgere in auras,  
 Atque peregrinam recto invitare virenti  
 Eusciniam vernis mulcentem cantibus aures.  
 Quæ si non animum sylvæ nascentis imago  
 Moverit; at dulces non obliviscere natos,  
 Quos lucus ramis quoties frondentibus olim  
 Conteget umbrarum tacita dulcedine captos,  
 Te memori repetent animo, magnâque parentem  
 Laude ferent, quod vel seelis servire futuris  
 Quâm sibi maluerit, serisque relinquere natis  
 Delicias nemorum, Largâ quâm messe beari.

O ! ego venturi sacra sub vexilla nepotes  
 Lojolidæ, primo qui nunc è limine inusas  
 Pœne salutatis, mox vitæ operuunque futuri  
 Consortes, ô ! si vobis ego reddere lucos,  
 Fletibus avulsos dolui quos nuper obortis,  
 Ipse labore manum tererem, luctumque levarent  
 Quæ vobis struerem reparatæ gaudia sylvæ.

At primum recto caperem loca proxima , dirus  
 Unde surit Boreas ; & quanquam confita plantis  
 Exoritur Quercus , quia non ita stirpibus hæret  
 Firma suis , quām cum pōsito de semine crevit ;  
 Terque quaterque solum foderem , glandemque  
 subactis

Obruarem campis : glans nata cacumine molli  
 Cum primū inciperet maternam fundere terram ,  
 Jamque solo frondere , greges procul inde re-  
 pellens

Confusas ultro sinerem sylvestrē plantas .

Dein cum nata recens teneris arbuscula ramis  
 Luxuriaret agro , jam tum formare tenellas  
 Aggrederer Quercus ; & semina pauca relinquens  
 Eruerem male nata : comas diffusaque latè  
 Brachia falee premens (ut vertice Quercus in altū .  
 Profiliat ) nimios prohiberem effundere ramos ,  
 Ilicibus primo labor opportunus in ævo :  
 Quercus enim in sylvis frondes jam grandior imas  
 Exuit ipsa volens ; sua nec , crescentibus altè  
 Arboribus circum , foliorum impendit inani  
 Pabula luxurie ; sed amicos æmula soles  
 Affectat , cæloque caput sublimior effert ;  
 At contra vacuos eadem ramosa per agros  
 Funditur , ingentem passis dans frondibus umbram .

Æstivum tamen arboreo sub tegmine sole  
Si vitare cupis , primosque ornare domorum  
Introitus ; triplici tendant umbracula versu  
Ulmus opaca , leves Tiliae , vel tonsa Cupressus  
Parietis in morem , vel Carpinus ire per omnes  
Jussa modos , viridique placens curvamine frondis  
Arceat æstivos longo seu fornice soles ;  
Seu labyrinthæ non observabile flexu  
Turbet iter , quod si tenebris quis captus amans  
Ingreditur , vix se dubiarum ambage viarum  
Expediet , calles sed oberrans usque per omnes  
Ambiguos referet sua per vestigia gressus .  
Et vicina domo largam quoque sufficit umbram  
Morus ; at illa comæ longum non servat honorem :  
Namque renascentes vix misit in aëra frondes ;  
Ecce puellaris manus instar ; ab arbore raptum  
Quæ referat folium ; dulcem Bombicibus escam .  
Qui legitis Mori frondes , ah ! parcite summis  
Arboribus , lævaque manu capita alta tenentes ,  
Et premite , & duæ ramos abradite dextrâ ;  
Ne præcisa comas , scabrum caput horrida Morus  
Exerat , & turpi reprimens hastilia nodo  
Indecorem rarâ truncum vix contegat umbra .  
Fluminibus gaudent Salices & Populus alba ,

Riparumque thoris lœtæ declivibus Alni :  
 Lætior hinc fluvii facies labentis in umbrâ ;  
 Hinc pecori frondem, domibus tabulata, caminis  
 Arida sufficies alimenta, solumque tenebis,  
 Amnis edax ne radat aquis mordacibus agrum.

Sæpe tibi fluvius Salices tellure revulsas  
 Auferet, & teneras secum trahet auctior Alnos ;  
 Nil minus incœptos iterabis vere labores,  
 Et nova gramineis figes plantaria ripis.  
 Si semel hæsit humi radix firmata, suoque  
 Continuit se limpha diu tranquillior alveo ;  
 Indomitos & lenta Salix & vilior Alnus  
 Frænabunt cursus ; & inexsuperabile flumen  
 Quod latè premit arva sonans, & gurgite moles  
 Diruit oppositas, volvitque rotantia saxa,  
 Vincitur adversis sua quæ sibi littora truncis  
 Objiciunt, & jam numero defensa, tumenti  
 Vilia nec quicquam pulsat saliceta fluento.

Prima rebellantis populi sic ausa morando  
 Accipiunt vires; Princeps viætricibus armis  
 Externos populatus agros, velut amnis ab alto  
 Monte ruens, vallos & propugnacula rumpit ;  
 Saxeæ: sed stragem viætos dum spargit in hostes  
 Interiora tenens regnorum viliis & olim

Subdita plebs, nimiumque diu neglecta, triumphis  
 Obstet, & una moras infert, quas ille potentis  
 Imperii toto pugnans vix robore tollit,  
 Civilis tanti est extinguerē semina belli  
 Protinus, & minimos populi compescere motus,  
 Ante ferox junctis steterit quām miles in armis.

Pratorum quoque glauca Salix non indecor oras  
 Cinget, & epotis crescit ramosior undis,  
 Lentaque sufficiet frænando vincula Baccho.  
 Non ortu morosa Salix; nam sæpe revulsus  
 Exsucco palus Salicum de fasce, tenellis  
 Ut detur comes arboribus tutorque, renata  
 Fronde viret, plantamque gravi premit improbus  
 umbrâ:

Atque ut cæca rapit mors optima quæq; salignos  
 Arentem juxta Tiliam mirabere palos,  
 Fundere vicino pallentes funere ramos,

Saxosos olim montes in honora tenebat  
 Buxus, adornando felix jam quæritur horto;  
 Tonfilis æternos ubi servat frondis honores,  
 Textilibusque modis erratica serpit, & ipsis  
 Flotibus est decori; vel crescere jussa, figuræ  
 Mille refert, hortos eadem pro pariete claudit  
 Horrendos sine luce specus imitata, calorem

Temperat æstivum, dat fronde sedilia molli,  
 Dat virides thalamos, quicis languida membra  
 reponas;

Signorumque loco, rabidi nunc ora leonis  
 Exprimit, aut arcu jaculantem tela Dianam:  
 Nunc turrita viret, longi nunc tonsa Colubsi  
 Fingitur in faciem, pansis nunc exhibet alis  
 Cælestes Aquilam quæ visa tenere volatu  
 Velle plagas, hæret pedibus tellure refixis.

Quid loquar aut Myrtos humiles, aut præmis-  
 vatum

Pierias Lauros, aut flexile vimen Achantí,  
 Hirsutamque comis Pínum, tristesque Cupressos,  
 Vosque peregrino Casíæ, quæ nuper ab orbe  
 Venistis, murum dociles vestire, domorumque  
 Atria vere novo scænâ decorare virenti;  
 Quæque susurranti crisparis Popule vento;  
 Et te Abies quæ passa truces in montibus Austros  
 Ad mare descendes alios visura tumultus.  
Quid sterilem Platanum, quid Robora dura,  
quid Alnum  
 Aut Fagos memorem, quorum plantaria campis  
 Sponte virent: pomis invitant dulcibus horti,  
 Hinc labor, hinc operum merces speranda colonæ.

Ergo novo jam vere manus adhibere cayandis  
 Edicam scrobibus, toto quas plurimus anno  
 Maceret imber aquis, & solibus excoquat æstas.  
 Si mora longa, potes lentum supplere calorem  
 Solis, & arenæ fossis succendere virgas.

Scrobs autem cono similis fodiatur, ut agri  
 Interiore sinu radix diffusa vagetur  
 Laxius, & nimios humus invia desuper imbre  
 Respuat, & soles eadem frigusque repellat.

Semina recta leges, procera, & lævia, nullis  
 Ulceribus, sano libro, radice trifurcâ :  
 Non avido pecorum corrosa cacumina morsu ;  
 Non manibus sint fracta; juvat quo cardine cali  
 Confiterant, eidem molles opponere plantas.

Junior in frondes si se profuderit arbor,  
 Radices oblita suas defigere terris,  
 Falce recide comas; ut stirpem succus ad imam  
 Defluat, & primo truncum confirmet in ævo.  
 Pinguibus haud aliter pecudes immittimus ar-  
 vis,

Ut seges assurgat tonsâ generosior herbâ,  
 Nec culmus gravidæ quondam succumbat aristæ.

In teneris quanquam melius respondeat annis  
 In sitio; si quos tamen emendare placebit;

Aut uno plutes trunko confundere succos ;  
 Non simplex modus est alienam accersere gemmā,  
 Et mutare novo ramorum fædere fructus.

Fissus enim scalpro cortex aperitur acuto ,  
 Non tamen ut vatum princeps monstrabat, in ipso  
 Quā tunicas oculus rumpit , fit rimula nodo ;  
 Sed potius quā se nullum de cortice trudit  
 Germen , ubi nitidus locus est , & nulla cicatrix ,  
 Ex aliā tener huc includitur arbore ramus.

Vel de felici bene natam stirpe Colonus  
 Inciso circum tollit cum cortice gemmam ;  
 Deque marirandā decorticat arbore tantum ;  
 Detraicti quantū libri gerit hospes , amico  
 Qui steriles oculus gravidabit fœdere ramos .  
 Commissura luto linitur ; constrictaque lento  
 Vimine gemma , novis inolescit sedibus hæres .  
 Arboribus denum superat cum mollibus humor ;  
 Eligitur teres , & solidus , gemmāque frequenti  
 Surculus ; hunc acuunt ferro , cuneiisque figurant  
 In speciem , medium tamen ut rasura medullam  
 Non tangat : ramis deīn infelicibus arbor  
 Exuitur ; vertex resecatur ; & ante paratis  
 Quām mediā cunei via finditur arbore , truncum  
 ( Ne procedat hians plus justo rīma ) ligari

**C**onveniet. Brevior fissuræ sareulus altè  
Imprimitur : licet hunc stringat sine viminis us  
In plagam rediens cortex ; immobilis imbris  
Ut toleret ventosque , luto componitur unà  
Muscus ; & intortis religatur fascia vinclis.

**I**nclusos facili mos est astringere ramos  
Vimine ; nos juncos & mollia vincla probamus ,  
Namque secans penetrat cum vimen inaruit æstu.

**D**egeneres hâc arte docent mitescere fructus ,  
Naturamque novam faciunt : sic hispida ponit  
Tela Pyrus , nova poma , novas miratus & um-  
bras :

**S**ic Prunus sua fraxineis dat nomina ramis :  
Emendat Salices Pomus , Nux ardua truncos  
Lævigat arbuteos , & spinis natus alendis  
Flore micat Rubus ; excussâ sic altior Ulmus  
Glande pluit ; Ceraso Laurus phœbea Corymbos  
Mutat ; & horridulos exarmat Amygdalus hirta  
Castanæ fœtus ; Morusque superba comarum  
Fœdere , cum Citro sociatur ; & unde puellæ  
Bombices aluere suas , hinc aurea carpunt  
Mala sibi , niveoque sinus hinc flore coronant ,  
Unde novâ calathos implebant fronde capaces :  
Rusticus affines umbras , cognataque gemmis

Eligat & primis virgulta maritet in annis ;  
 Ut tenero grandes inolescant cortice plagæ :  
 Semina dein jam trima loco mutabit , amicam  
 Arboribus terram & loca commodiora requirens.

Eligitur Pomis ager opportunus alendis ,  
 Cui natura magis quam larga rigatio justum  
 Sufficit humorem ; loca nec montana recusant ;  
 Nec graciles, ubi lympha fitim compescat, arenas.  
 Attamen ut pingui sapor haud argutus in agro ;  
 Infelix ita cum succis humus aret ademptis :  
 Immatura cadunt , & vermibus obsita mala.  
 Herbida convenient pomis quoq; prata ferendis :  
 Pomus enim , si nata suis semel hæserit arvis ,  
 Agricolæ non curat opem ; sine vomeris usu  
 Parturiet fructus , quos mollior herba caducos  
 Excipit innocuâ , vento quatiente , ruinâ .

Ficus amat soles , nec apertis ausit in agris  
 Frigidior teneram fixisse Lutetia plantam ;  
 Sed dum sœvit hyems Ficum sub tecta reponunt  
 Grandibus impositam capsis , cæloque redonant  
 Mollis ubi Boreâ Zephyrus procul egit ad arctos .  
 Nos autem Ficum mediis permittimus arvis ;  
 Quanquam confisos nimium deceperit atrox  
 Nuper hyems , & Ficus agro defecerit omnis .

Insolitam secum stragem mirante Colono.  
 Ipsa tamen quæ non potuit defendere truncos,  
 Incolumem gremio radicem terra tepenti  
 Fovit, & in partus ita festinavit, ut agris  
 Tristia vix superent tantæ vestigia cladis.  
 Ficus enim subitò ramos adolescit in altos,  
 Parturit & fructum, vel quo deponitur anno;  
 Vergit ad interitum quoque prona, brevisque se-  
 nectus

Arboris est: nam quas partu natura creavit  
 Præcipiti, fato mors præripit alite plantas.

Ergo novos memor usque solo defigere ramos,  
 Elige petrosum collem; loca faxea sicum  
 Nobilitant. Quanquam cæli plaga mitior ortam  
 Excipiat, primis tamen indulgere sub annis  
 Proderit, & summos defendere frigore ramos;  
 Sævit in extremas frigus penetrabile partes.  
 Fissilis idcirco vacua internodia cannæ  
 Divide; quo summas, capitis quasi tegmine, frôdes  
 Molliaque imbellis tutere cacumina Ficus.  
 Ut festina suos alienis mensibus arbor  
 Parturiat fœtus; oleum cepasque rubentes,  
 Rugosumque pipet fluvialibus incoque lymphis;  
 Quo radix animosa suos medicamine fructus  
 Præcipiter:

Præcipitet : pigras contra remorabere Ficus ,  
 Nascentes primo grossos si decutis ortu :  
 Nam fœcunda novis se fructibus induit arbor ;  
 Quos improviso non nunquam frigore Caurus  
 Occupat , & molli prohibet mitescere succo ;  
 Alma licet mater crassas , umbracula , frondes  
 Dejiciens , soli grossos exponat apertas ,  
 Frigus & algentis reparans incommoda noctis .  
 Nulla suos arbor curat tam provida fructus ;  
 Ægraque cum Cerasus , cum Nux , & morbida  
     Pomus ,  
 flaventesque Pyri languentibus illico ramis  
 Executiant fœtum ; Ficus moritura tenellos  
 Usque foveat partus , & frondis inania ponens :  
 Ornamenta ; suis , quæ pabula rara supersunt ,  
 Fructibus impendit , prolesque immortua matrem  
 Hæret ad extinctam communibus obruta fatis .  
 Mollior est Citrus , & magnis obnoxia curis :  
 Grandibus impones urnis , queis mobilis hortus  
 Æstivos capter soles , nec tristia rursum  
 Frigora , jam vento gravis spirante , sub altis  
 Porticibus curet : verno hinc inter honores  
 Muneraque autumni spatiiberis , aurea latus  
 Poma simul , niveosque legens ex arbore flores .

Despectura truces olim Nux grandior Austros,  
 Apricis adolescat agris : ibi semina prima  
 Mollitas depone nuces , testamque minorem  
 Subjice , radicem nascens ut latius arbor  
 Spargat humo, valeatque Notos durare fremetes.  
 Terque quaterque solo teneris mutabis in annis :  
 Nam patriâ veluti procul à tellure juventus  
 Ingenium studiis & pectora laudis amore  
 Roborat exemplis populorum ; ita junior arbos  
 Nativo translata solo caput altius effert ,  
 Et ramos fœtu gravat uberiore comantes.  
 Dissita Nux spatiis feritur , ne tristibus umbris  
 Vexet , & alterius diverberet altera ramos ,  
 Depereatque tener per mutua vulnera fructus.  
 Et quia per vacuum pannis amplissima ramis  
 Funditur , & nocuâ segetes interficit umbrâ ,  
 Occupet extremos agrorum in margine fines ;  
 Non conjuncta viæ tamen aut vicinior urbi ;  
 Præteriens matura petat ne poma viator ,  
 Deciduos mutilans saxorum grandine ramos.

Triticeas inter stet mollis Amygdala messes ,  
 Durus ubi gelidis Boreas non insonat alis ;  
 Ut quos præcipiti flores educere partu  
 Festinat , campis arbor tucatur apricis.

Persicus & cælo passis Armenia ramis  
 Parturient flores, & non ignobile pomum :  
 Arbor ubi tepidis subtenditur utraque muris,  
 Pulchrior est, succoq; tuinet magis ubere fructus.  
 Quamvis & Cerasos & amicam Vinea Ficula  
 Accipiat sociasque Pyros & persica mala ;  
 Frugiferis tamen arboribus propiora relinquens  
 Arva domo, gregis & populi secura rapacis.

Non unam Pyrus in faciem consurgit ; opacum  
 Namq; intonsa comas cælo caput ardua tollit,  
 Aut humilis ferro premitur ; vel aprica sequaci  
 Mœnia fronde tegit, mollique coercita nodo,  
 Artifici circum decorat loca confita textu.

Seu protensa Pyrus, pictisque simillima flabris  
 Hæreat ad muros, yincli seu libera tendens  
 Brachia, crateri similem singatur in orbem ;  
 Imperia in ramos memor exercere fluentes  
 Frondator tonfis norit quæ gratia ramis ,  
 Et potior facies , quis fructibus usus habendis.  
 Pertinet ad speciem, patulo ne ramus ab orbe  
 Exeat, & dorso gibber decedat iniquo :  
 Ad fructus verò oonducit ut utile lignum ,  
 Et qui spem faciunt oculi serventur , inersque  
 Et sterilis ferro ramus tollatur adunco.

Talis erit duro nitidus qui stipite sursum  
 Profilit, & supra reliquos caput altior effert,  
 Fraternæ succum soboli furatus ademptum.  
 Civis ut in populo mediis è millibus unus  
 Ad magnas ubi surgit opes, furtisque superbit;  
 Sentit utrinque suos plorans vicinia census  
 Imminui, justo pestis dum publica fato  
 Tollitur; & primos aurum revolubile cursus  
 Instituens, unâ jam non absimitur arcâ.  
 Non aliter socias frons macerat improba virgas:  
 Falce memor refeca; nisi fortè videbitur arbor  
 Informanda novo cultu; spatiisque replendis  
 Servierit ramus, fructu non aptus alendo.

Hæc vulgi de mente: novus docet usus edacem  
 Non penitus frondem, cui radix prodiga succos  
 Pleniùs immittit, pressâ rescindere falce;  
 Sed medium tantum ferro succidere virgam;  
 Exorientur enim gemmis nova ligna, feraxque  
 Progenies, fructu quæ deprimet ubere matrem.  
 Non placet attonsâ transversus in arbore ramus,  
 Ni parat in fructum gravidis crumpere gemmis;  
 Fructus enim decet imprimis: sed copia florum  
 Largior agricolam ne spe deludat inani;  
 Et vel in arboribus ne quid nimis: ubere fœtu  
 Deficit,

Deficit, & nunquam tot flores induit arbor,  
 Quam cum precipiti languet peritura ruinâ.  
 Quæ tu dona bonas suprema negabis, inanes  
 Executiens digito flores, nam forte vigorem  
 Hauriet, & succo revirescet paupere trunus.

At rigui contra quod pinguior ubere campi  
 Luxuriat foliorum arbor ditissima, raro  
 Sparget flore comas: rigidâ quem falce putator  
 Non reprimet luxum; cædendo imponere morem  
 Tempus crit, cum non exuberat amplius humor;  
 Atque animos folio profuderit arbor inani.

Infirmis etiam ante hyemem supponite falcem  
 Arboribus; validas contra succoque nitentes  
 Cædite vete novo, nimiasque infringite vires,  
 Ne dubio properent flores educere soli.  
 Icaria cum sol rapidos ad Virginis astrum  
 Fleget equos, ferro rursus tollenda virentum  
 Luxurias foliorum; animos ut fructibus arbor  
 Server, & in steriles non fundat prodiga ramos.

Altera contineat, manus amputet altera frondes;  
 Radices arbor ne succutiarur adimas;  
 Pendentemque solo media internodia plaga  
 Obliquâ falce accipient: transversa cicatrix  
 Rore tum et, pluvio gemmas & inebriat imbre.

Atque parum cauto tua ne pomaria fetro  
 Carnifices vastent famuli ; tractare peritæ !  
 Falcem disce manu : labor haud ingratus ; honoris  
 Respondebit enim pomis felicibus arbor.

Namque meam propter Bliteram, quæ mitior ire  
 Incipit , & dudum juga per salebrofa volutus ,  
 Præcipites & adhuc pavidas horrore locorum  
 & Obris aquas remoratus , agtis hortatur amoenis  
 Felicique frui cælo ; vir rutis amator  
 Si quis erat , memini quas impendebat alendis  
 Arboribus curas ; quam fausto fœdere ramos  
 Insereret , Citros ut falce putaret , odoras  
 Me puerō gaudente comas attollere terrâ ,  
 Et plenis portare domuni juveniliter ulnis :  
 Et reminiscor adhuc quam dulcia poma vicissim  
 Arva darent ; Oleis ut grandibus æmula Citrus  
 Surgeret , & ramis pendentia mala decoris  
 Candidulos inter fulgerent aurea flores .  
 Quem loquor ille mihi pater est ; mors impia dudu  
 Abstulit : at nostros non illa extinxit amores ;  
 Et patrios revocans mores exemplaque , nato  
 Quæ præstat meminisse magis quam dicere versu ,  
 a Obris Orb. fluvius ab altis montibus defluens Blite  
 ramque urbem attuens .

Non alio , ne regum equidem de sanguine malim  
Esse satum ; tanti est pietas atque aurea vitæ  
Simplicitas , & nuda fides , lucroque pudendo  
Pectus inaccessum , & rigidi mens conscientia recti.

Salve care patens , & qui prodeste docebas  
Moribus agrorum studium ; quod rariss amore  
Nunc uno teneat , procul ambitione remotâ  
Gaude si quid adhuc mea curas : plenus amicis  
Quæ dederas monitis, fructus non quæro laborum  
Quam mihi quos ruris fert inculpata voluptas.  
Quantula fama tuas cum perveniebat ad aures ,  
Teque senem recreabat , erat mihi dulce poëta  
Nomen , & elatum stimulabat gloria pectus :  
Jam me nulla movent quæ te non gaudia tangunt;  
Natalis nec jam capior dulcedine cœli ;  
Teque absente placet tantum mihi patria , nomen  
Quod colit illa tuum , quod me veniente, tuarum  
Non oblita mihi laudum præconia pagus  
Usque canit , mecumque dolet , mecumq; parentē  
Luget & ille suum , defensoremque requirit.

Nunc age , quæ veteres prætermisere poëta ,  
Plantarum aggredior morbos , arte inque medendi.

Arborei fœtūs hominisque simillima vita est ,  
Nec dispar habitus ratio : radicibus arbor

Insistit veluti pedibus , pro corpore truncus  
 Eminet , & longos fundit quasi brachia ramos :  
 Succus inest , anima qui pro rectrice medullam  
 Permeat , & frondes vita fons manat in omnes.

Prima suæ habet in plantis infantia casus ,  
 Quæ molli tractanda manu , natalibus agris  
 Exultat , lætoque vitet juveniliter ævo.  
 Et quanquam teneris laetentem informet ab annis ,  
 Ætati tamen indulget , ramosque Colonus  
 Nec reprimit nimis effusos , neque vere silentes  
 Præcipitat , donec rigidos imponere mores  
 Et luxum austera compescere falce monebunt  
 Imperus & trunci vigor inconsultus adulti .  
 Arctior effrænos tum disciplina coercet ,  
 Imperiumque pati ramos jubet , atque figuram  
 Induere , & muris placitam prætendere scenam .  
 Quo posito semel indocilis fervore juventæ ,  
 Subsequitur solers & idonea fructibus ætas .  
 Arboribus sua nec deest importuna senectus  
 Fronde caput nudans & arans in cortice rugas .  
 Ac veluti notat ora vitum , macilentaque membra  
 Longior attenuat morbus , sic arida truncos  
 Exarat invalidos imacies , aliumque colorem  
 Ægra trahit ramis pallens languentibus arbore .

Humanos eadem morborum causa per artus  
 Gliscit & arboreas frondes, quas paupere succo  
 Vix alit, aut nimiâ tellus ingurgitat escâ.  
 Ac velut immodico fervens cum sanguis ab æstu  
 Intumuit venis, cui se via libera venis.  
 Non aperit, fusis morbi griffantur habenis;  
 Non aliter languent arenati stipite plantæ,  
 Arboreas nisi qui sueris pro sanguine venas  
 Occupat, & liber ramis eat, atque perenni  
 Circuitu referat frondes alimenta per omnes.

Humor enim cæcos subit abs radice meatus;  
 Pervaditque comas & vertice lapsus ab alto  
 Circuit, ac latè truncum defertur in omnem;  
 Arboribusque facit viæ commercia succus;  
 Sanguis ut humanos revolubilis irrigat artus.

Nonne vides stricto compressis vimine ramis;  
 Desuper ut reffluo cortex humor tumescit;  
 Et pluvius frondes & tantum asperserit imber  
 Continuò vires arbos animosa resumit;  
 Emoriturque trahens ramo quod sape vel uni  
 Morsibus inspirant animalia dira, venesum.

Radices autem quâ se ratione per imas  
 Insinuat, quâ vi nutritius humor in altas  
 Defertur frondes, & ab alto vertice rursus

Ad stirpem refluit, res est non parva, docebo.

Qi cælum tenet omne, soli quoque permeat aëte  
Viscera rara; suo fluidos premit ille liquores  
Pondere, quos sursum ( si quæ vacat aëre crasso  
Semita ) per tenues cogit consurgere venas:  
Ut digitos inter mustum prorumpit hiantes,  
Maturas pedibus calcat cum vinito ruras.

Ergo sequax sursum panno velut unda bibaci  
Consurgit; montes eadem quo more per altos  
Nititur, & vivo juga saxeæ fonte recludit;  
Ut vitreos subit unda tubos, quam sustinet intus  
Aura premens circu stagnantem onerosa liquorē;  
Sic diffusus agit, & ad aëre pretius, apertos  
Ingreditur liquor arboreā radice canales.

Qi tellure subest calor adjuvat aëra, rari  
Spiramenta soli laxans succosque tumentes  
Quà data porta, jubens ligni succedere venis.

Non tamen aëreæ capita ad sublimia Quercis  
Pabula deveniant, almo nisi mixta liquori  
Utriculis agitata suis fermenta propellant  
Latiū humorem, quem conceptacula sursum  
Ire docent, valvisque suis munita, regressum  
Impediunt. Frondes ita scansilis humor in altas  
Profilit, unde novos aditus, nova vasa, novasq;

Ingreditur venas ; stirpemque relapsus ad imam ,  
Circuituque redux longo , nova pabula secum  
Evehit in plantas , ramisque impendit alendis.

Quæ priscis quanquam seclis incognita vase  
Et valvæ tenues , & vitæ tota supellex  
Humanos oculo produnt se teste per artus .  
Arboreis quales visum est affingere venis.  
Namque sui semper natura simillima , texta  
Simpliciore quidem , sed non diversa secuto  
Plantarum vitam , pecudumque , virumque tueri .

Quis medicas adhibere manus jani nesciat ægris  
Arboribus , neq; enim languent si commoda tellus  
Sufficiat succum , cui sit via libera ramis ;  
Nec subeunt alimenta , nisi pluvialibus agros  
Diluat imber aquis , & tenuia pabula secum  
Deferat in plantas . Siccis hinc frondibus aret  
Quæ riguis caret orta recens arbuscula rivis :  
Grandis enim sibi quærit aquas tellure latentes  
Altius immisis agro radicibus arbor.

Immodicus pluvio tamen humor ab æthere plantis  
Officit , enervans fermenta , ipsosque resolvens  
Fibrarum nexus , & pabula cruda ministrans .

Arboribus quoque succus obest cum major ab  
alveis

Copia fusa suis numeroso tubere truncos  
 Fœdat, & informi cogit decedere gibbo.  
 Plenior ipsa sibi nonnunquam subvenit arbos,  
 Exudans nocuos diducto cortice succos :  
 Vere magis, largum quia vere repentibus agris  
 Evocat humorēm radix ; hinc myrrheus humor,  
 Thura deūm quæsita focis, sudataque ligno  
 Felices Arabum ditant opobalsamā sylvas.  
 Hinc chia Lentisci lachrymas habet insula ; nobis  
 Hinc nigra pix, hinc & Pino resina fluenti.  
 Largior ut venis succus decurrat apertis,  
 Rusticus heu ! truncum lacerat, rursumq; bipenni  
 Aggreditur, nudam pèrimant dum frigora Pinum  
 Frugiferis etiam plantis si forte redundans  
 Succus obest, nimioq; tument quasi sanguine venæ  
 Buxeus imprimitur cuneus, qui corpore fixus  
 Arboreo, plagâ succum deducit hianti.  
 Attamen ut victu sapientius abstinet æger,  
 Noxia quā revomit medicas alimenta per artes  
 Radices ita sub terris resecare bibaces,  
 Atque sua arboribus velut ora recludere præstat;  
 Quā nimios ruptis succos extrudere venis.  
 Quare age si fructum pinguis tibi deneget arbo  
 Luxurians folio tantum, radice latenter

Aggrediere

Aggredere mali labem ; fusque resectâ  
 Parte capillitii , densâ cum stirpe nocentem  
 Haud metues succum vegeti subducere truncâ.  
 Sic ubi luxus iners & dira pecunia sanctos  
 Fregerunt mores ; vitamque licentiū actam  
 Emendare manu superi dignantur amicâ :  
 Quæis alitur vitium , quâ passim densa malorum  
 Pullulat abs radice seges , succidere primùm  
 Divitias , animum dein ad meliora referre ,  
 Non illaudatos tum demum extundere fructus.

Nunc inopi contra vîctu cum pallida languet  
 Arbor , & exsuccas nudato vertice frondes  
 Exuit ante diem ; caries radicibus imis  
 Instat edax:nam cum plantæ deest humor alendæ ;  
 Se crasso radix ingurgitat ebria limo ,  
 Qui venas replet & succi commercia tollit.  
 Sparge columbinum sterlus , quod cæca relaxans  
 Spiramenta , vias aperit : dein effode circum ;  
 Egestoque solo meliorem suffice terram ;  
 Et compesce fitim lymphis , animosque redonans  
 Arboribus , frondis revoca viridantis honorem.  
 Sic morbos primùm medicus depellit inertes ,  
 Robustis tum fluxa cibis corpuscula curat.

Ægra vetustatis cariem si traxerit arbor ;

Ulcus hians ventis aperi phæboque medenti ;  
 Largaque diducat truncum fissura patentem ,  
 Ut penetrant intus sol & perflabilis aër  
 Qui putre consolident corpus : neq; pestis in altos  
 Effundat totâ se latius arbore ramos .  
 Sæpe suos tellus succos non omnibus æquè  
 Dividit arboribus : neque enim nutricius idem  
 Omnibus humor agris , nec inest radicibus imis ,  
 Quà subeunt alimenta , paris textura figuræ ,  
 Consimilesque viæ : pingues hinc hordea succos ;  
 Accipiunt , ubi jam deerant sua pabula messi  
 Triticeæ ; lassis hinc mutant semina campis ;  
 Infinuat se namque novas novus humor in herbas .

Quid varios quibus est arbos obnoxia casus  
 Enumerem ; tristi nunc grandine vapulat , acri  
 Nunc perit usta gelu , villo nunc tabet edaci ,  
 Durior abruptis lapidosæ grandinis ictus  
 Dissipat humorem venis ; & hiantibus arbor  
 Livida vulneribus , tristi mox tubere passim  
 Prominet horridior , neque fructus educat ullos ;  
 Saucia frondator nisi tollat ligna , novisque  
 Nudatum jubeat truncum revirescere ramis .

Grando minus damnosa cadit cum fortè recenti  
 Imbre madens hebetem cortex iam flexilis ictum

Emollit ; tanti est violento posse furori  
Cedere , nec semper rigidas opponere vires .

Arboribus contra clades suprema paratur  
Cum pluvios gelidi vis frigoris excipit imbrēs ;  
Namque superveniens frigus sub cortice clausam  
Durat aquam ; glacies autem rarescit , & arctis  
Jam spatiis intra venas inclusa , meatus  
Diffecat arboreos ; quo more fatiscere rimis  
Cogit , & in varias solvi vas fīctile partes .

Mucor ( si qua fides acuenti lumina vitro )  
Fungorum genus est , quod fixum cortice , venas  
Rumpit , & immissā truncos radice fatigat .

Sic & Muscus iners stirpem ramosque securus  
Inquinat , & succum villo subducit edaci :  
Quæ velli facilis purgatur ab arbore labes ,  
Cum maduit longo cortex jam mollior imbre .

Multum adeo cave ne truncum lasciva virentem  
Implicitet , & frondes Hedera ambitiosa per altas  
Audeat indecores pomis miscere corymbos :  
Namque inserpit edax , alienoque ubere pinguis  
Emaciat , strictumque premens necat improba  
truncum .

Hoc faciunt & quæ frondes Eruca per altas  
Membra trahit , pomis vestigia fœda relinquens ,

Atque malum ramis instillans virus adesit,  
Et Picumnus avis rostro quæ dura lacefent  
Robora, securos mediâ cavat arbore nidos.  
Insidias meditare novo cum vere volucris  
Tentat opus, crebrisque dolens gemit iactibus ille  
Erucas autem quæ fila tenacia fundunt,  
Ut plexam involvant sobolis cunabula frondem;  
Exime post imbre; labor haud operosus, in una  
Frigoribus pigra tum coëunt animalia molem:  
Dede neci, somnos vincens & frigora flammis.  
Est aliud morbi genus, interiora medullæ  
Cusa subit, & labem ramos effundit in omnes  
Vermis iners; ferro pestem rimare, priusquam  
Dira per arboreas manent contagia frondes;  
Giscit enim sequiturq; comas, & stirpibus instans  
Contiguis, unâ se spargit ab arbore clades,  
Ordinibusque furit longis, ni providus obsis  
Exhaustoque solo latè ramalia fossis  
Arida succendas, & purges ignibus agrum;  
Jamque novam tutò possis defigere plantam.  
Arboribus nova sæpe tuis innascitur arbor;  
Naturæ non artis opus mirabile; laxâ  
Fœcundum seu semen avis profuderit alvo;  
Seu velut humano scatuerunt corpore vermes;

Haud

Haud secus in plantis succus vitiosior ultra  
 Degeneres ramos , & prodigiale videntes  
 Fuderit utiliter peccans ; hinc namque Colonus  
 Edidicit trunko mixtas confundere plantas.

Spuria clavicularis invitam amplexa parentem ,  
 Multiplici se se tortu circumligat arbor :  
 Flexilis indecori Linum sic Cuscuta nodo  
 Strangulat , èque Thymo dulces furatur odores ,  
 Se neque defendit telis Rubus asper acutis.

At contra Viscum , ramis quod seminat arbor  
 Ipsa suis , recto se vertice tollit in auras ,  
 Dissimilique comà frondet. Nil Gallia majus  
 Nil habuit quondam Quercu sacratus illà  
 Divinum partu tulerat quæ divite Viscum :  
 Et quanquam nemore ex alto qui fausta tulissent  
 Ligna domum , nec iniqua fibi gregibusque time-  
 rent

Toxica , nec gravidis inimicos messibus Austros ;  
 Germina sacra tamen ritu demessa paterno  
 Per Druidas templis in publica jura locabant.  
 Ergo novo surgente die , crescentia postquam  
 Cornua jam sexto Phœbe reparaverat ortu ,  
 Nobilitas cum plebe , viri cum matribus ibant  
 Quò sua per lucos , per & invia faxa vocabat ,

Relligio : festo redimiti flore juvenci  
 Ponè sequebantur , neque deerant inter cundum  
 Quæ rudibus Druidæ sociarent carmina nervis.  
 Aurea falx sacrum resecabat ab arbore ramum ,  
 Immiti neque enim ferro violare licebat.  
 Candenti præcinctus erat quâ veste sacerdos  
 Excipiens Viscum , populo plaudente , sub ipsâ  
 Grandia Taurorum mactabat corpora Quercu.  
 Sacrilegos alio cultros fœdare cruxore  
 Ausus , & humano ( nobis data pabula quondam  
 Jamque relicta Sui ) venerari sanguine glandes.  
 Parce Deus ! neque dira lūant commissa pa-  
 rentum

Secula servasti quos in meliora nepotes.  
 Numinia vana colens , legumque oblita tuatum  
 Gallia si tantis potuit succumbere culpis ;  
 Non alia est ritus quæ gens exuta profanos  
 Servierit cælo melius : Iustralibus undis  
 Abluit illa prior reges , regumque secutos  
 Exemplum populos : neque pro ditione tuendâ ,  
 Æterno quantum pro numine vicit & aris.

Tentatum fileo pelagus veteresque triumphos ,  
 Gallia juratis olim cum tota sub armis  
 Ibat , & insensas Christo trans æquora gentes .

Quæstura, sacræ regum quoque prodigæ vitæ;  
Victrices Solymæa cruces per regna ferebar.

Magnus enim jam nunc cælo melioribus armis  
Militat extremas L O D O I X orientis ad oras:  
Vastaque sulcarunt jam sæpius æquora naves  
Militibus fœtæ JESU qui signa secuti,  
Emenso terræ revolubilis orbe, ( salutis  
Pignora sacra ) Cruces, non gallica Lilia potent,  
Templa deo statuant, non propugnacula regi;  
Et vistos Christo populos cælestibus ornant  
Divitiis, nec opes referant quæ cætera cogunt  
Navigia, extremos Sinarum accedere fines.  
Muneris, & L O D O I C E tui est, quod null  
la supersunt

Hæresecos monumenta, novos quod Gallia ritus  
Dedidicit, stygio quo I rursus Erynnis ab orco  
Ausa subire, suis caput ista recondidit antris.  
Illa voluptatis quondam spirabat apertas  
Blandior illecebras; mutato nomine larvam  
Induit ecce novam, vultus mentita seniles  
Austerosque foris habitus; non invia telis  
Est tamen illa tuis, veteres quanquam advoeet  
artes,

Seque in mira recens transformans Proteus ora,  
Nunc rabiosa Tygris fiat, vel amica luto Sus;  
Nunc vario fese tortu plicet, atque severis  
Sæpius è manibus tibi lubricus excidat Anguis.







L. M. Dumanil d.

L. E. Cars J.



P R A E D I I  
R U S T I C I  
L I B E R V I.

P URPUREIS alii redolentes floribus hortos

Principibus cecinere viris; ego rustica tractans

Prædia, divino quondam meditata Marenī

Tenuia difficulti complectar oluscula versu,

Lamoniana suos flectens per tempora flores

Jam tulit hortorum primos Rapinus honores.

Tu quem Lamonius Regi, populisque reliquit

Nominis hæredem meritique, virentibus hortis

Adde novum decus, atque <sup>1</sup> Apii cum <sup>2</sup> Bacchare  
tortis —

Frondibus, agrestem capiti patiare coronam.

Si spectas mollemque Rosa m & sacrata parenti

Lilia, <sup>3</sup> Laetucas & humili nascentia <sup>4</sup> Fraga

<sup>1</sup>. Persil. <sup>2</sup>. Gant-nôtre-dame, herbe odiferante  
que les anciens metoient dans leurs couronnes.

<sup>3</sup>. Laithe. <sup>4</sup>. Fraise.

Despicias : at inest oleri sua cuique voluptas,  
 Indulgetque sibi rerum natura creatrix ,  
 Seu picto formosa novos in flore colores  
 Miscuit , hortenses seu protulit utilis herbas.

Delicias & turis opes qui præparat hortum  
 Arva domo vicina colat : sit commodus aër ,  
 Pinguis humus , facilisque ; fimo telluris iniquæ  
 Corrigitur vitium , sed inemendabile cælum est.  
 Prona per arcolas aqua derivabitur omnes ;  
 Nec Boreas affliget olus , si colle sub alto  
 Molliter ad tepidos ager inclinabitur Austros.  
 Nuda sit arboribus tellus , vernantibus arbor  
 Frondibus & nocuis urit radicibus herbas.  
 Maturas æstiva procul terat area fruges ,  
 Infestas oleri ; paleas ne ventus in hortum  
 Deferat , & moto conspergat pulvere plantas.  
 Ne pigra vicinis sœdas imitata paludes  
 Torpeat unda locis ; inimica nitentibus herbis  
 Stagna calescenti generant animalia limo.  
 Si vestigales fons ultro advexerit undas ,  
 Seque , loci mirâ captus dulcedine , plures  
 Dividat in rivos , totoque perambulet horto ;  
 Solve membror superis tanto pro munere grates .  
 At si vicinis nec collibus advena lympham

Rivus agit, medio nec fons scatet ullus in horto  
 Quod superest olitor terræ cava viscera ferro  
 Tentet, & uberibus circumpluet undique guttis;  
 Ac Mulo versante rotas per mutua nexas,  
 Non labor est sursum residens educere lymphas.  
 Ne gravior fossorum animas extorqueat aer  
 Accendant pingues opera inter iniqua lucernas;  
 Et vitae metuant, cum pestifer halitus ignem  
 Protinus extinguit: directas undique circum  
 Ad latera objiciant tabulas, quas lignea vectis  
 Sustineat transversa; solo conclusa ruent  
 Corpora ne tristi donentur viva sepulchro.  
 Qui fodunt puteos siccissima tempora querant;  
 Cum madet imbre solum, fallacibus omnia lym-  
 phis

Rura natant; dubios aestas probat arida fontes:  
 Si maneant, inopem neque Sirius hauserit undam,  
 Nil tardes muro puteum vestire perennem,  
 Morðaci sensim tellus exesa liquore  
 Ne labet, & subitam faciat mollita ruinam.

Quid mage conveniat vel circumducere murū,  
 Claudere strūtilibus, vivis vel sepibus hortos  
 Tecum mente agita: sc̄pes armenta, rapacem  
 Er̄ populum, sed non hyemes avertit ipliquas,

Nec radice patum propioribus officit herbis.  
Utilior contra paries, seu quod minus agri  
Occupet, & teneras defendat frigore plantas;  
Sive quod in plures duret reparabilis annos.

His ubi provisum fuerit, tum vertere terram  
Præcipio, multoque rudem describere campum  
Tramite, qua rivum sulcos partitus in omnes  
Ducat, & areolas dextrâ, laevâque Colonus  
Accessu faciles ferro rimetur, & herbâ  
Purget Olus, gravibus neq; calcet semina plantis.

Grandia si virides quis in oppida transferat  
hortos

Tonsillis distincta Pyris majora viarum  
Intervalla satis circum undique floribus ornet;  
Indecores ne se 1 Porri, 2 Caulesque videntum  
Protinus objiciant oculis. Tu seria rerum  
Semper ama, modicasque vias prætende, 3 Thimoque  
Et gratis Baccho 4 Cinaris, & 5 Rore-marino;  
Humentes quoque mollis amat 6 Saturëia ripas,  
7 Serpillumque solo repens, 8 Apiumque pelasgæ  
Quondam frontis honos, & crassis 9 Salvia ramis.

1. Porreau. 2. Chou. 3. Thym. 4. Artichau. 5. Rorémarin. 6. Sarriete, plante odiferante, bordure. 7. Serpoler. 8. Persil. 9. Sauge.

Non tamen omnigenis inimicus floribus , illos  
 Ejicies , quorum facilis cultura , nec usus  
 Nellus erit , quales Violæ , nigrumque Papaver ,  
 Et Rosa supposito quæ si calet igne , caduci  
 Solamen tibi floris , aquam stillabit odoram.  
 Liliaque , & Calthas , & hiantem flore decoro  
 Narcissum , Clitienque seres ; festisque diebus  
 Serta parans , donis superos placabis inemptis.  
 In tenues hominum curas descendere gaudent  
 Cælicolæ , tantumque boni pietate Coloni ,  
 Quantum operâ , quantum largis viget imbris  
 herba.

Nuper enim , lucem queis hausi finibus , uao  
 Et Coridon , & Mopsus agro cum pinguibus hortis  
 Contiguas habuere domos : magis ille lacertis ,  
 Iste Deo confisus , humum sudoribus ; edem  
 Nec fructu coluere pari : seu venditor urbem  
 Mopsus adit , ferro docilem seu cultor agellum  
 Sollicitat , plenis respondent omnia votis.  
 At Coridon inopes vix colligit unde penates  
 Sustineat , miseramque trahat cum conjugé vitam.  
 Æstus erat , festusque dies , amboque sub umbrâ  
 Gramineis sedere thoris. O Mopse heatos  
 Miror , ait Coridon , uni tibi surgere soles ?

Semina diversis en ut communia fatis  
 Consurgant? atqui non est me doctior alter  
 Et serere; & plantis solitas impendere curas.  
 Mopsus ad hæc. Alia, ô Coridon, sed cognit  
 paucis

Te quoque cura latet superos in vota vocandi?  
 Infantes cum voce manus fer ad æstra, priusquam  
 Admoveas operi, fortunatasque videbis  
 Intus ali, & raro meliore tumescere plantas.  
 Obsequitur monitis Coridon; nec vana precandi  
 Religio; redeunt animæ languentibus herbis,  
 Fœcundosque finis laxans sc messe coronat  
 Überiore pias humus emendata per artes.

Rusticus ancipites hyberna per otia matras;  
 Ferratumque paret cratem, duroisque ligones;  
 Capreolosque quibus glebas exerceat armis.  
 Tum quoque vicino quærat sibi semina rure;  
 Et varios oleris generatim ediscere cultus  
 Non pigeat, neq; enim plantis ager omnibus tñat  
 Non eadem cultura placet, tempusque serendi.

Pars amat æstivos soles, pars frigus, & Euri  
 Aspernata minas illæfæ frondis honorem  
 Per medias hyemes servat; pars condita terris  
 Non sursum prodire pigris radicibus audet,

Torpentes non ante comas evolvere calo,  
Quam reducem audierit Prognem, Zephyrosque  
vocantes.

Sæpe suâ pubens olus ab radice revulsu[m]  
Mutatis adolescit agris; & mater eodem  
Sæpe sinu tellus quo parturit educat herbas.  
Sunt aliæ semel excisis quæ frondibus arent,  
Demessâque comâ stat truncus inutilis agro.  
Sunt quibus usque redit nova frons, multâque  
Colonum

Messe beant. Molli nunc figit oluscula terræ  
Inaftis olitor foliis, nunc fronde reſectâ,  
Sucçus ut uberior stirpem cogatur ad imam,  
Mandat agris. Plantas unâ ratione nec omnes  
Evocat in ſepem, generique immittit habendo.  
Preterea genus haud unum, Betæque rubenti,  
, Candidulæque: suas mensis alit altera frondes;  
Altera radicem; genitalibus utraque fulcis  
Danda, coronato cum vertice <sup>3</sup> Punica inaluis.  
Prodiit, & roſeo procul emicat ignea flore.  
Nec tibi <sup>4</sup> Lactucæ faciem nascentur in unam.  
<sup>5</sup> Altera quæ cochleas foliis imitatur, aquofana

1. Bete-rave. 2. Poirée. 3. Grenadier. 4. Laituë.  
5. La coquille, Laituë.

Fert hyemem: <sup>1</sup> medium per se caput altera plēxis  
Frondibus involvet, solidumq; tumebit in orbem

<sup>2</sup> Dentatas crispata comas, hæc vere tepenti  
Nascitur; astivos tolerat <sup>3</sup> Romana calores.

Sunt etiam <sup>4</sup> Napi teretes, <sup>5</sup> Raphanique,  
sativus

Et rudis <sup>6</sup> Asparagus, capitatum & sectile <sup>7</sup> Porrum,  
<sup>8</sup> Longior, & <sup>9</sup> patulo visenda Cucurbita ventre,  
Longa super cameras reptat, vel ab arbore fructum  
Demittit, docilem pueri quem cortice presso  
Funiculis cogunt in quaslibet ire figuras.

Nunc solis radios fingunt, tortosque dracones;  
Nunc super inscriptum gaudent concrescere nomē:  
Dein humeris vacuas aptant, nudique per undam  
Flumen inexpertis audent pulsare lacertis.

Scandit in arboreos ventrosa Cucurbita truncos;  
Sed tu multiplici per gramina repere flexu  
Coge, fatiscentes rumpat ne pondere ramos.

<sup>10</sup> Tertia quæ brevior, medioque coërcita nodo  
Exoritur, Baccho dabit opportuna lagænam,  
Quam lateri accingas operumq; viæq; ministram.

1. Laituë pomée. 2. La Crepe-blonde, Laituë. 3. Laituë Romaine. 4. Navet. 5. Rave ou Raifort. 6. Asperge. 7. Porreau. 8. Courge longue. 9. Cireouille. 10. Calebasse.

Ipsa adeo geminum referunt<sup>1</sup> Spinachia sexuni  
 Quem dixerat matem generosior unus acutum  
 Proficit in semen; trifoli prope pallid amictu  
 Femina, quæ steriles effert sine semine frondes.

Quid memorem quantâ jaet se<sup>2</sup> Brassica  
 laude,

¶ Sive volubilibus reddit in se frondibus, orbisq;  
 Orbibus agglomerans capitis sub mole laborat;  
 ¶ Tornato similes ebore seu candida flores  
 Ediderit<sup>3</sup> seu coniferas imitata cupressos  
 Seque sulas plicat in frondes, & acument in album.  
 Desinit, ac tenui venit haud ingloria mens<sup>4</sup>;  
 ¶ Sive hyeme in mediâ, cum cætera frigore tor-  
 pent,

Exta virerit; Boreamq; tricem, Cautrosq; malignos  
 Despiciens, vacuis ultrò dominatur in hottis.

Ut variæ species oleris, sic plura serendi  
 Tempora sunt: putribus mandantur pleriq; falcis  
 Cum pluviis tellus madet autumnallibus, & cum  
 Egelidas hyemes reducis fugat aura Favoni.  
 Tunc eadem est anni facies, & saxe subhortæ  
 Autumno violæ falluntur imagine veris.

1. Epinard. 2. Chou. 3. Chou panieré. 4. Chou-fleur.  
 5. Chou friisé. 6. Chou vert.

Tempestiva autem satio , seu frigore terram  
 Fermentarit hyems ; seu coixerit acerius æstas.  
 Ut raque vis solvit glebas , & inutile gramen  
 Enecat : insani quanquam post frigora Cauri  
 Vere satas annus clementior excipit herbas.  
 Bruma tamen licet usque comas affligat adustas ;  
 Securam patitur stirpem coalescere terris ,  
 Et messem cælo dein maturare calenti.

Quare age deciduas cuim nudâ ex arbore frondes  
 Frigidulis volitare vides Iudibria ventis ,  
 Insta operi ; longos plano duc æquore sulcos ,  
 ⁊ Alliaque in plures spicas divisa , refosso  
 Conde solo ; fatuumque ⁊ Blitum ⁊ Cretasque  
 marinas ,  
 Et ⁊ Cinaram , Cinaraq ; rubras intersere ⁊ Betas ;  
 Optima tunc etiam satio ⁊ Menthæque virenti ,  
 Et ⁊ Cunilæ , & ⁊ Fragis nemorum gaudentibus  
 umbrâ .  
 ⁊ Idæisque Rubis , ⁊ Inulæque , ⁊ Crocoque  
 rubenti .  
 ⁊ Fungus , & ⁊ Anisum , gratoque ⁊ Lavendula succo

1. Ail. 2. Blette. 3. Crête-marine. 4. Artichau. 5. Bête  
 rave. 6. Laume , herbe odoriferante , fourniture de  
 salade. 7. Sarriete , plante odoriferante. 8. Fraise.  
 9. Framboise. 10. Aunée. 11. Safran. 12. Champignon.  
 13. Anis. 14. Lavande Bordure.

Et <sup>1</sup> Sedum minus, & medicos <sup>2</sup> Hyssopus in usus,  
 Et <sup>3</sup> Siser, atque <sup>4</sup> Rumex, & inertis grata palato  
<sup>5</sup> Intyba, & <sup>6</sup> Atriplices, & <sup>7</sup> Pastinaca ferantur  
 Atque <sup>8</sup> Cicer telluris edax, dulcisque <sup>9</sup> Locusta,  
 Et foliis asper <sup>10</sup> Raphanus, <sup>11</sup> Condryllaque  
 crure

Laetea, quæque hilares faciunt <sup>12</sup> Nasturtia mentes  
<sup>13</sup> Napusque & minimo quæ semine nata <sup>14</sup> Si-  
 napis

Arboris in faciem ramis frondescit opacis.

Vos quoque jejunis olim solatia mensis.

Cæsa minutatim, & cerealibus abditæ crustis  
 Ante hyemæ molles <sup>15</sup> Spinachia pandite frondes.  
 Et teneris aude <sup>16</sup> Lactecula surgere fibris,  
 Te stipulis, cum frigus erit, te stercore multo  
 Immites hyemis contra tutabimur auras.

<sup>17</sup> Erucas etiam, rectoque <sup>18</sup> Draconetia caule,

1. *Tripe madame*, fourniture de salade. 2. *Hyssope*. 3. *Cbervy*, racine potagere. 4. *Especie de patience*. 5. *Chicorée blanche* 6. *Bonne-dame ou Arroche*, petite plante annuelle dont on se sert en potage & en farce. 7. *Panaix*, racine potagere. 8. *Pois thiche*. 9. *Mache ou Doucete*. 10. *Rave*. 11. *Especie de chicorée sauvage*. 12. *Cresson Alenois ou Nasturce*, fourniture de salade. 13. *Navet*. 14. *Moutarde*. 15. *Epinard*. 16. *Petite Laithé*, 17. *Roquette*. 18. *Estragon* fourniture de salado.

Atque 1 Bipinellas, 2 Oximque, brevemque  
3 Melissam,

Quas oleo, & veteri, cum bruma remittet, acēto  
Perfundas, tune tempus erit committere fulcis.

Nosse juvat quas siccus ager, quas humidus aet  
Respuat, ut toto nullus vacet angulus horto.

Quæ steriles fundo tellus imitatur arenas,  
Lactucæ, Cicerique favet; Spinachia longam  
Non passura sitim, Caulesque, & orentia latè  
Allia felicis gaudent uitigine terræ.

Sunt quibus & prosint umbræ, murosque vel ipsos  
Occupat effusis, 4 Anguina Cuçurbita ramis.

Et testudineo prope murum Vinea dorso  
Flectitur, arcendos circumfita solis ad æstus.

Nudus erit tepidos paries conversus ad Austros;  
Tristis ubi minus audet hyems, solisque reflexi  
Quæsitus favor algentes solabitur herbas.

Hic quoque seminibus quasi sessio mollior alta  
Instruitur a pulvinus humo, qui vere reducto  
Sufficiat pangenda novis plantaria fulcis.

Longa nivalis hyems & inertibus otia terris;  
Et pigro facit agricolæ; filet herbula primis

1. Pimprenelle. 2. Alleluya fourniture de salade.  
3. Melisse, fourniture de salade. 4. Courge longue  
a couche ou petite planche dans un jardin.

Frigoribus contracta ; gelu vel terra rigenti  
 Clauditur , aut longo madet intractabilis imbre .  
 Jam neque fundit opes , olitor nisi frigora flammis  
 Vicerit occultis , multo vel stercore molles .  
 Evocet Asparagos , & quas natura negabit  
 præcoce Laetucas emergere juss'erit ortu .

Hunc olim prior induxit Quintinius usum .  
 Quippe hyemes inter medias felicibus armis  
 Oppida cum Galli quaterent inimica , nec anni  
 Tempestas effet non fertilis ulla triumphis ;  
 Ille suâ ne non brumam quoque vinceret arte ,  
 Nullo hyemis verisque fatas discrimine plantas .  
 Versaliæ riguis educere cœpit in hortis .  
 Nam quid humus Regi non deferat excita tanti  
 Principis aspectu , posito qui pondere rerum  
 Quos oculos aperit populis , orbique regendo .  
 In tenues amat interdum demittere plantas .

Si loca jam toties mihi decantata , beatos  
 Versaliæ colles videam ; non ipsa tenebunt .  
 Augustæ me tecta domus , non lympha per altos  
 Obsquiofa fluens montes , non totius orbis  
 Dives opum variarum hortus , non denique nostrū  
 Quanquam non pigeat tantos Olus inter honores  
 Aspicere : at purâ quondam sub luce tenellis .

Errantes Lodoix oculos cum pascet in herbis,  
 Ipse meos pascam quoque principe totus in uno;  
 Quem procul attonitus stupet orbis, & ultima  
 retro

Venturi post secla velint vidisse nepotes.

Cum venti posuere truces, & oluscula leni  
 Jam Zephyrus fovet afflatu, non sole cadenti  
 Non oriente, recens haustos diffunde liquores;  
 Humor inexpertam ne frigidus occupet herbam.  
 Sole licet medioque die, cum sicca reporem  
 Sensit humus, riguosque bibt lœtissima rivos.  
 Dein anno mutante vices, tu tempora muta,  
 Namque superfluis plantas à sole calentes  
 Ureret imber aquis: tunc seu jam luce peracta  
 Obruat hesperio pronos sol æquore currus,  
 Eōis redeat seu matutinus ab uīdis,  
 Eductas puteis querulâ compage rotarum  
 Tempus erit toto lymphas dispergere campo.

Vere novo longos Olus utilitate labores  
 Jam recreat; breve <sup>1</sup> Chærophilon, & <sup>2</sup> Amata-  
 cus umbrâ

Lætior in messem crescunt; & olentia Fragis  
 Arva rubent, uisque <sup>3</sup> Ribes arbuscula crispis.

1. Cerfeüil, fourniture de salade. 2. Marjolaine,  
 Bordure. 3. Groseille piquante.

Jamque caput plexis involvere <sup>1</sup> Brassica ramis  
 Cogitat , & tardi surgunt <sup>2</sup> Buglosa saporis.  
 Occulta per saxa vias , alimentaque <sup>3</sup> Cappar  
 Inveniens scabris tegit obsita rudera baccis:  
 Cæsa semel <sup>4</sup> Läpathi brevis herba virentibus usq;  
 Luxuriat rediviva comis : crispantur olentis  
 Flexibles <sup>5</sup> Apii frondes , & acumine mollem  
<sup>6</sup> Cepula findit humum , tonsisque repullulat  
<sup>7</sup> Oxis

Frondibus ; & dulces spargit <sup>8</sup> Melilotus odores.  
<sup>9</sup> Feniculum , <sup>10</sup> Raphanusque tener , mordaxq;  
<sup>11</sup> Siñapi ,

Lætaque nascuntur <sup>12</sup> Puleia , quæque domorum  
<sup>13</sup> Ocima sublimes decorant palpanda fenestras.  
 Eruitur <sup>14</sup> Staphilinus humo , <sup>15</sup> Sifaronq; brevesq;  
<sup>16</sup> Buniades , & quæ fruticat spatiösior <sup>17</sup> Hirci  
 Barbula , & hyberno gaudentia frigore <sup>18</sup> Rapa.

Quas epulas tantum lectos & ab arbore fructus  
 Præsca patrum norat virtus , atque aurea frugi  
 Simplicitas : hinc illa virum felicior ætas

1. Chou pommé. 2. Buglose. 3. Capre. 4. Patience,  
 espece de fort grande Oseille. 5. Persil. 6. Ciboule,  
 espece de petit Oignon. 7. Alieluya. 8. Melilot. 9.  
 Fenouil. 10. Rave. 11. Moutarde. 12. Pouliot , Bör-  
 dure. 13. Basilic. 14. Carote. 15. Chervy. 16. Navet.  
 17. Scorsonere , ou Salsifis. 18. Rave.

Usque valens parco vincebat plurima victu  
 Secula : vivendi nunc infidiosa voluptas  
 Imminuit vitam , quam fluxo è corpore dulces  
 Extorquent epulæ ; neq; enim in convivia tantum  
 Jam veniunt agris animalia nata colendis :  
 Itur & in medias , pretium faciente periclo ,  
 Oceani syrtes ; educitur æquore Piscis ;  
 Nec medium tutis ales secat aëra pennis ;  
 Totus & est jam pœne gulæ contractior orbis .  
 Dum viget hyberno tellus animosior imbre ,  
 Ne sterili vernas in alendo gramine vires  
 Infumat ; properemus humo dare semina & Thym-  
 bræ  
 Atque <sup>2</sup> Apii. & Beræque rubræ, <sup>4</sup> Pisq; virentis  
 Tunc quoque <sup>5</sup> Cervinum cornu , <sup>6</sup> Coriandra ,  
<sup>7</sup> Blitumque  
<sup>8</sup> Et Seris , & dulci <sup>9</sup> Borago flore feruntur ,  
 Et coctu <sup>10</sup> Faba difficilis , vilisque <sup>11</sup> Fasellus ;  
 Aureaque <sup>12</sup> Andragne , atque humili <sup>13</sup> Salium-  
 ca , suumque  
 A longo quæ nomen habet <sup>14</sup> Lactuca cucullo .

1. Sariete , Bordure. 2. Persil. 3. Bête - rave. 4.  
 Pois-vert. 5. Corne de cerf. 6. Coriandre. 7. Blette.  
 8. Chicorée blanche. 9. Bourrache. 10. Fève. 11. Heri-  
 tot. 12. Pourpié. 13. Lavande , bordure. 14. Laitue  
 capucine.

Mutatumque solo, radicibus ante recisis  
 Detonsaque comâ cantoribus utile <sup>1</sup> Porrum  
 Pangitur, & <sup>2</sup> Cepe lacrymas factura secanti.  
 Vos etiam <sup>3</sup> Lupuli, brevibusque <sup>4</sup> Cicerbita  
 ramis,

Et primâ <sup>5</sup> Pepo difficilis cum pubet in herbâ,  
 Teq; <sup>6</sup> palustre Apium, te semen olentis <sup>7</sup> Anethi  
 Accipiēnt fulci, <sup>8</sup> Crithmumque, & amica Lyxo  
 & Hormina, quæque manus inodorat <sup>10</sup> Ruta le-  
 gentes.

Quid jubeat, quid Luna vetet, plebs nescia re-  
 rum

Inspiciat, Lunasque meras, atque arbitra ruris  
 Aëtra crepet; tu Sole tuos metire labores.  
 Si qua fides oculo, plantas tepor adjuvat unus,  
 Et quod in humanas possunt vaga fidera mentes;  
 In teneras id juris habent non amplius herbas.

Seminibus positis fossorem avertite Talpam  
 Ne deformet agros, & iniquo dente sativum  
 Depopuletur olus. Longos telluris acervos  
 Si quando aspicias sensim consurgere, gressus

1. Porreau. 2. Oignon. 3. Houblet. 4. Espèce de châ-  
 corée sauvage. 5. Melon. 6. Hache. 7. Anet. 8. Cicer-  
 marine, ou Fenouil marin. 9. Ormij. 10. Rue.

Fer tacitos, cumuloque togam suppone recentis  
 Cæcum Talpa caput fallacibus inscia pannis  
 Inferet, & meritas tenebris dabit eruta pœnas.

At contra Mures avidos, aviumque minorum  
 Infidias, plexos mos est innecēterē sentes.  
 Non equidem per dura petit Mus vulnera prædam,  
 Occultum sed quærit iter tellure sub imâ,  
 Armatasque rubis sepes, & inutile vallum  
 Trajicit, & teneras depascitur helluo frondes;  
 Quare age muscipulæ natum prope semen apertis  
 Sint foribus, quibus invitet succedere surem  
 Pendula nux, avido malefidam credulūs escam  
 Ore petet, clausoque vorax se latro teneri  
 Carcere conspiciet, neque jam semesa resumet  
 Pabula captivus, sed non cessabit iniquas  
 Tollere vel pedibus, vel dente laceſſere valvas.  
 Vidi ego qui Talpas <sup>2</sup> Ricino maleolente fugaret,  
 Atque venenatā <sup>2</sup> Cinaræ radice pararet  
 Muribus infidias. Si quando frondibus hærens  
 Infestabat olus Pulex, hirsutaque Campe,  
<sup>3</sup> Marrubii latices super injiciebat amaros;  
 Et Formicarum flammis abolere receſſus

1. *Tique.* 2. *Artichau.* 3. *Marrubium.*

Si everat, ut fumo durisque exterrita pœnis  
 Impigra gens ultro maletutis cederet agris  
 Nil fruges hyemi lectas, nil horrea curans.  
 Providere Dei nobis meliora : Pyrenæ  
 Nuper enim celsos peregrina Ciconia montes  
 Dum superat, ferturque humili super arva volatu  
 Implicit appositis se cassibus : illa resectis  
 Continuò pennis custos imponitur horto.  
 Oblatas captiva dapes fastidit ; at Anguem  
 Inter-vidit olus, vacuamque immisit in alvum  
 Quamvis ille diu luctatus, corporis imos  
 Implicit nodos, & torta volumina rostro.  
 Quæ situra novam volucris per oluscula prædam ;  
 Herbarum genus omne sagax scrutatur, & hortum  
 Muribus, & Campe purgat, Talpisque ; nec ipsos  
 Dedignatur edax, veteri quos evocat imber,  
 Patiente, Limaces fractâ consumere conchâ.  
 Non satis est pestes procul amovisse colonum,  
 Assiduo nisi sollicitet plantaria cultu,  
 Radat humum rastris, & inexuperabile Gramen  
 Etuat, & molles riguis alat imbris herbas.

At 1. Peponem in primis ab iniquâ viadicet aurâ,  
 Mollis enim seu primævo juveniliter ortu

I. Melon.

Luxuriet; seu jam cœpit grandescere, cultū  
Indigit æterno. Sic optima quæque labores  
Per summos veniunt: animos tamen erige, solo  
Vincitur agricolis paupertas dura labore.

Veris ubi reducem volucres cecinere teponem,  
Laetæ novo vel aquâ medicatum fossula semen  
Excipiat saturata simo. Quâ parte nivalis  
Flat Boreas, olitor mixtâ cum stercore terrâ  
Imbellem luteo præmuniat aggere plantam.  
Si quid adhuc sœvasque vices mutabilis auræ,  
Atque hyemem medio reducem sub vere timebit;  
Coniferi Peponem finat intra concava vitri  
Crescere, dum ventos ferat, & jam fortior aurâ  
Liberiore frui malit, nudusque relinqu.  
Vitreæ transmittunt tepidum specularia solem,  
Et sœvas arcent hyemes; at grandinis iæsus  
Non tolerant, nisi vimincis defensa cucullis.  
Uni plura simul mandentur semina fossæ,  
Nam neque vis eadem cunctis est insita granis.  
Almæ solus humi Pepo qui superaverit hæres,  
Si nimius succi se caudice longior uno  
Fuderit, interdum molli caput ungue putator  
Demetat, & primâ luxum compescat in herbâ.  
Tum digitis terram terat; & quæ pessima circum  
Nascitur

Nascitur herba manu tollat ferroque bicorni.

Nec super effundat largos aspergine rores;

Languentem vitiat lymphæ contagio frondem.

Irriguoſ Peponi fas est inducere fontes,

Donec in oblongum tumidus grandescere ventrem;

Incipiat: dein & sitis, & penuria lymphæ

Dant pretium: tamen exsuccam miserabere plan-  
tam,

Sic evquat arentes insana Canicula glebas.

Sed cave ne fluidū Pepo cortice combibat imbrē,

Tegula subjicitur, solem quæ sicca reflexum

Augeat, & terræ nocuis afflatibus obſteret.

Duxit ubi croceos pellis rugosa colores,

Et colli fibris Pepo tempestivus ab ipſis

Nititur avelli, cultrum suppone, priusquam

Marceat, & terris putrefacat inutile pondus.

Hunc legitio qui mole gravis, cute durus, & auto-

Concolor est, gustuque refert & odore Lyæum,

Non alia est: Cucumis cultura; 2. Cucurbita cæli

Difficilis patiens minus est obnoxia curæ.

Cætera quæ passim nascuntur oluscula, verſu-

Quid memorem; si pinguis ager, si plurima

lymphæ

1. Consimbris. 2. Citrullis.

Copia, non tempus non disciplina serendi  
Quæritur ulla; sibi tellus nil indiga nostri  
Sufficit, ut multâ cumulet mercede Colonum;

1. Fraga tamen, 2. Cinaramque juvat purgare;  
revulsâ  
Prole, suam circum fruticat quæ plurima matrem.  
In teretem, 3. Lactuca comas quæ circinat orbem,  
Candidior fit operta solo; prodire nec aust  
In mensas 4 Apium majus, nisi terra tumenti  
Abdiderit gremio jussas albescere frondes.  
Candida fit pariter crispas, 5 Endivia molli  
Vincta comas junco, & genitalibus obruta sulcis.  
Mollior & 6 Raphanus terris innascitur; imbræ  
Si biberit falsos; asper falsugine gustus  
Corrigitur; durus contra si caudice nudo  
Tellurem super emergat, folioque frequenti  
Luxuriet; vel fortè sitim fit passus iniquam.

7 Capparis exefis quæ se circumligat ipsa  
Parietibus, veteri plantis de stirpe revulsis  
Conseritur; quanquam viridis cum bacca tepentes  
Oscitat ad soles fœtam det semine glandem.  
Debilior tellure 8. Cicer ne repat aquosâ,

1. Fraise 2. Artichau. 3. Laitue pommée. 4. Celery.  
5. Chicorée blanche. 6. Rave ou Raifort. 7. Caprier.  
8. Pois-chiche.

Ramosas appone sudes , quibus implicet ultro ;  
Latius & partes frondem diffundat in omnes.

Allia si pedibus calcas , injuria laudem  
Afferet , & capiti dabit incrementa tumenti .  
Cum pallent , & humi flexa cervice recumbunt  
Vellere tempus erit ; vincitis de more maniplis ,  
Ter quater incurvo terram proscinde bidenti ,  
Ut suffossa malum tellus exhalat odorem ,  
Qui teneras , si vera ferunt , odor enecat herbas.

Grandia quæ longo jam niacrior Allia partu  
Edidit , affuso reparatas stercore vires  
Colligat , ante novo quam femine fœta , labores  
Instituat primos. Id in hortis dulce colendis  
Quod messim tellus alit indefessa perennem ,  
Quod beat agricolas & spes & fructus avaros.  
Et dubitamus adhuc , ipsis vel in urbibus , hortis  
Atque oleri curas impendere ? Buxea nobis  
Silvula non hortus colitur ; procul utilis herba  
Exulat , ut vani florum captentur odores .  
Quin summas & ruris opes , & tota , nefandum !  
Prædia consumi sterili miramur in horto .  
Atqui nil cedunt hortenses floribus herbæ .  
Una dies florem nasci videt , una caducis

*In Alli -* *l'origine des plantes et l'usage des herbes*

Effætum languere comis : quæ manè rubentes  
Explicit frondes , lapsa Rosa vespere flore  
Tristibus horrescit spinis ; at oluscula durant  
Semper , & in sulcos rectè digesta , virenti  
Nil Buxo cedunt , nil coniferæ Cyparissso.  
Quid ! si naturam facili juvat arte Colonus ;  
Si duras hyemes vincat ; si præcoce partu  
Cogat humum natos alieno tempore fœtus  
Edere , quæfitas mensis regalibus escas ,  
Ad quantas emerget opes ! quæ nominis ibit  
Fama sui ! quam forte suâ contentus avitos  
Vertet agros. Felix Olitor cui sedula conjux  
Obtigit , & duri proles studiofa laboris :  
Fortior ipse solum palâ , duroque ligone  
Sollicitat ; puerique suis pro viribus adfunt  
Affidui comites operum ; pars frangit inertes  
Malleolis glebas , pars gramen inutile rastris  
Insequitur , spargitque fimum , plantisque calores  
Æstivamque fitim properantibus excutit undis.  
At calathis Olus exportans adit oppida conjux :  
Sera domum redit ære gravis , dapibusque diurnos  
Nec non urbano recreat umore labores.  
Pauperibusque epulis non affidet anxia Cura ,  
Nec Pavor ambiguis mensam circumvolat alis .

Nam neque bella timent , nec jura forensia,vanos  
Non horrent strepitus , non irrequieta tumultus  
Excitat internos tacitæ mens conscia culpx.

Lite carent , neque nota domi vadimonia , num  
                        quam

Lictoris subiit facies invisa penates ;  
Et nisi spem fuerit seges eminentia , dolorem  
Nullum corde premunt ; oritur neq; tristior agris  
Ulla dies , nisi quam soles fecere maligni.

Nil sibi cum Medicis , vanaque Machaonis arte ;  
Et tamen usquevalent; lecto nec plumbeus austex  
Langidulos affigit , iners nec bruma ; nec æstas  
Ulla nocet ; non membra ligant afflita podagrx ;  
Non stomacho gravis esca; febre non lethifer afflas

Autumnus ; non deliciis properata senectus  
Instat , & extremam præcox denuntiat horam.  
Ipse salutares herbas quarum indiget usus  
Hortus habet, 1. Rutas, 2. Althæam, 3. Absynthiam,  
4. Malvas ,

Et quæ concilient lethæa 5 Papavera somnos.  
Fert & opem medicis labor ipse potentior herbis.  
Neu avido noceant opera indefessa Colono ,

1. Rue. 2. Guimauve. 3. Absinthe. 4. Mauve. 5.  
Pavot.

Septima quæque dies ludos , & amica Lyæ  
 Dona refert , meritique loco , & virtutis habetur  
 Suspensi resides cessare ligonibus agros.  
 Mutua qui festum vocat in convivia pagum ;  
 2 Lactucas , 2 Cinaramque dapes apponit inemp-  
 tas ;  
 Nec Cyathis parcit ; post prandia ducit in hortum  
 Convivas , & multa docet , discitque vicissim  
 Re super hortensi , morbos usumque medendi ;  
 Pallida seu vitio telluris oluscula languent ,  
 Infestis seu vermiculis obsessa tenentur.

Nec filet herbarum vires , seu pigror alvus ;  
 Aut fuerit citior ; tussi seu fortè frequenti  
 Executiat latus illabens pulmonibus humor ;  
 Sive intermissis furit æstibus arida febris ;  
 Indicat hortensis si quæ ferat herba salutem ;  
 Et veteris famosa refert mendacia famæ ,  
 Pluribus enarrans , ut 3 Brassica nata a Licurgi  
 De lacrymis , vites etiam nunc oderit almas :

1. Laitue. 2. Artichau. 3. Chou.

a Lycurgus Thraciae rex vites toto regno excidi jussit ;  
 quod Thracas vino immoderatè deditos animadverteret  
 in furorem deinde actus crura sibi succidit , vites  
 putans excidere cum præ dolore fleret largius , ab illius  
 lacrymis natam fabulantur Brassicam .

Vitis *b* ut ipsa retro (tendentibus usque flagellis  
 Diffugiat , ferrum ceu in frondosa Licurgus  
 Brachia rursus agat , veteresque resuscitet iras.  
 Ipsa *x* Meliphylon humili de cespite rufo  
 Flore micans, Apis , inquit, erat quam Flora la-  
 tentem  
 Nescia cum premeret digitis , se vindice lædi  
 Cuspidis indoluit punctu : neque lenta volantem  
 Pœna secuta ream est : in oðoras utraque crescit  
 Ala comas , subitâque pedes radice tenentur ;  
 Herbaque sit quâ non jucundior altera tristes  
 Curat Apes, medicata vocans in recta fugaces ,  
 Et dulci fractas reparans spiramine vires.

Interea pueros Olitor famulumque sequentem;  
 Si quid displiceat , verbis castigat amaris ;  
 Nec laudes reticet meritas : nam laude vel ipsos  
 Agricolas stimules. Tunc si quis ab arbore fructus  
 Decidit ante diem, legit ipse, domumq; reportat ;  
 Demissosque solo ramos , herbasque cubantes  
 Sublevat ; inque dies opera instituenda sequentes

*b* Brassica prope vitem confusa, admodum languet. Et vi-  
 tes, ut ait cicero, à Caulibus Brassicis, si propter satis  
 sint, ut à pestiferis & nocentibus refugere dicun-  
 tur , nec eos ulla ex parte contingere. *cj.* de na-  
 tu Deorum.


i. *Melisse.*

Designat ; licito apponens etiam otia lucro,  
 Felices hominum curas , quas inter , iniquo  
 Non sceleri , non invidiae locus ; unus & horto.  
 Et desideriis est terminus ; una ferarum  
 Furta timent ; vicinus amans virtutis , & æqui  
 Incustoditum formidine liberat agrum.  
 At neque tranquillos amor insatiabilis auti  
 Sollicitat ; lucrantur opes , partisque fruuntur ;  
 Sola relinquentes pueris hæredia , rastros ,  
 Jugera pauca , domum luteam , cultumque supremi  
 Numinis , & sanctos mores , studiumque laboris .





VII. Lib.



L. M. Duméril d.

L. B. L'art. f.



P R A D I I  
R U S T I C I  
L I B E R . V I I .

VITIS ament alii succum , cultura poëtam  
Me juvat , effossis seu viuitor ordine longo  
Semina deponat scrobibus , cultuque frequenti  
Hortetur teneras fœtu turgescere plantas ,  
Sive laborantes Ulmos pendentibus uvis  
Exoneret , condatque cadis spumantia vina .  
Romuleus quondam rates ad Tybridis undas  
Hæc eadem cecinit , novus attamen ardor ea don  
Ire viam , dubioque sequi vestigia cursu  
Sollicitat : sacri manes ignoscite vestram  
Neglectas si secter inops in vite labruscas .  
Felici meditatus agros vestire lyæo ,  
Ante rudis ferro quam tentes viscera terræ ,  
Quære prius Viti faveat quæ commoda tellus ,  
Quo melior veniat sub sydere , Vitibus omnia .

Dat præmium cælo tellus subiecta salubri.

Qui populi septem patiuntur acuta trionum  
 Frigora, bacchæum redimant Halece liquorem,  
 Pocula vel pressis imitantur vitea pomis.  
 Vitiferos neque enim sperent assurgere colles  
 Quâ regione minas Aquilonis, & horrida Cauris  
 Flamina, vix Pinus rigidis assueta procellis  
 Ferre potest, niviumq; riget sub pondere tellus.  
 At neque phæbæo proprius quæ tunditur igni  
 Torrida gens, curas uvis impendat inanes,  
 Neu Bacchum steriles invitum accersat in agros.

Inter utramque plagam, Scythicum quâ mun-  
 dus ad axem.  
 Consurgit, melior jacet arcto lmito tellus.  
 Non Euris damnata, siti nec hiulca perenni,  
 Sed Boreæ alternis vicibus. Zephyrique tepentis  
 Et pluviam, & leni mollita salubriter æstu,  
 Hic Baccho locus, his ultrò bonus imperat arvis,  
 Nec regni ulterius curat pretendere fines.

Non interjectas uno tamen ordine gentes  
 Bacchus habet, quondam studiis asperima belli  
 Marte meroque parem fecit sibi Græcia famam  
 Romanos rerum dominos Deus inde sequutus  
 Vina Falerna dedit: lapsa tum mole potentis

Imperii, musto sordentia plastra per Alpes  
 Egit, & optatis Gallorum constitit oris  
 Germanos spernens adversâ ex parte vocantes.  
 Scilicet invictis semper (labentia retro  
 Secula si repetam) quæ natio floruit armis  
 Visa placere Dœo est. Tantum ne Gallia munus  
 Sperne! latet cœcis argenti copia venis  
 Ærisque, chalybisque latent, aurique metalla,  
 Parcite sed Baccho loca commoda parcite cives.  
 Destruere, & testas irritamenta malorum  
 Divitias, eisdem ferro scrutare sub agris,  
 Quæis auro melior vitæ solamen amaræ  
 Exoritur contra curas & tædia vitis.  
 Quà levis est tellus, Austrisque obversa, nec  
     ullo,

Siliceat, lacerum pectus violata ligone,  
 Optimus ille ager est: hic pessimus, unde furenti  
 Eruta sylva manu regnis excessit avitis  
 Invisa focos: infamem cæde recenti  
 Odit humum Bacchus, nec sponte hinc pabula  
     carpens.  
 Tristior ingratum degit sine viribus ævum:  
 Vivit enim sohlem radix ultura revulsam,  
 Et quamvis caput in tenues non effusat auras,

Interiora tamen dominatur, agrumque per omne  
nem

Serpit, & immeritos ad se rapit improba succos,  
Æquior est Cereris multos quæ terra per annos  
Paruit imperio, & pingues nutravit aristas.

Optima jejuni colles, largissima campi  
Vina dabunt; & in arbitrio est vineta serentis  
An melius vel plus habeat. Tu felige colle  
Vitis ubi tepidos spectet generosior Austros.

Pendenti malè firmat humo vestigia Bacchus  
Ni paries humilis toto discrimina clivo  
Crebra facit, limum retinens, ne defluus imber  
Auferat, & vallem secum ducat ad imam.  
Quin & vitigeris juga per devexa theatris  
Lata reperculo coquitur vindemia sole,  
Uvaque vicinis Phæbum non eripit uvis.  
Tales dum rapido Rhodanus petit æquora curru  
Miratur passim ripis asurgere colles,  
Et fugiens nutu dextrâ levâque salutat.

Tres facies, totidem vulgo sunt nomina viti:  
Prima Tolosanis latè celeberrima campis  
Colligit ingentes non longo in stipite vires,  
Brachiaque huc illuc tendens, media ipse tenet se  
Aspernata trucem Boream cælique furores.

Altera

Altera quæ trunco gracilis caput altior effert,  
 Pondere victa suo jaceat delumbis, arundo  
 Ni teneat, vinctamque jugo sibi subdat amico.

Tertia liberius celsâ sese arbore tollit,  
 Et tenet amplexu, ramosque effrena per omnes  
 Serpit, & elatum caput inter nubila condens  
 Ostentat curvos pretioso pondere ramos.

Omnibus una ferè species, genus omnibus  
 unum,

At non vina eadem, melior de Vite jugata,  
 Quo propiore solo fruitur, vindemia pendet.  
 Caudice quæ brevior, terræ vicina reflexi  
 Auxilio solis felicius excoquit uvas.

Quæ nubunt Ulmis, Baccho cellaria rumpent  
 Ubere, sed tristi qui torqueat ora sapore.  
 Sive aër uvas suminâ constringat in Ulmo  
 Frigidior, solem sive arbor opaca comanti  
 Impediat fronde, aut succos immittat iniquos  
 Ipsa parens radix tot alendis fœtibus impar.  
 Si tamen illa tuis sit confita vinea campis,  
 Mores ne muta patrios, habitumque locorum:  
 Sunt & inexperti metuenda pericula cultus,  
 Atque aliis aliam in faciem felicius arvis  
 Nascuntur Vites: longo Burgundia tractu

( Uvas ne vitiet pinguis vapor humilius agit )  
 Elatas fixis sudibus surcāque salignā  
 Sustinet ; ast humili faveret æqua Tolosa Lyæo.  
 Allobrogum verò cæcis in vallibus , uva  
 Vix fruitur viso nisi summā ex arbore Phœbo.

Itala gens ( seris usus quia venit ab annis  
 Non vitio terræ ) Vites socialibus Ulmis  
 Connubio jungit stabili : per longa viarum  
 Intervalla serens , Vitesque Ulmosque maritat  
 Aequales ætate : locum nam stirpibus arbor  
 Anticipans , succum nascenti præripit uvæ ;  
 Atque arbor cum Vite , pari nisi pubeat ævo  
 Non tolerat sponsæ ramos , & pondus iniquum.  
 Si morbo gravis Ulinus obit , vel segnior annis ,  
 Connubio tu parce novo , surcāque bicorni  
 Et fixo viduam solare pedamine Vitem.

Horto etiam Vitis decori est , cum proxima  
 teftis

Nascitur , & raptim nitens ad fidera ; ferri  
 Tortilibus nodis muros captiva per omnes  
 Flectitur , atque jugo primis assuefecit ab annis :  
 Tum latè intendunt contos , ramoque sequenti  
 Vite n ad vincla vocant : mordacibus illa salignas  
 Claviculis stringit crates , latèque virenti

Palmitis obtentu muros , & limina vestit.

Sæpe per irriguos Olitor non inscius hortos

Dum flecti dociles virgæ , dum mollior atas

In testudineum farmenta sequacia dorsum

Ire jubet , contra æstivos umbracula soles.

Plantandi quoscumque modos imitabere , se-  
men

Ipse leges , neq; enim est vitium reparabile ; vitis

Non habet empta fidem , & quæcumque est fa-  
ma , remoto

Missa loco , nescit peregrinæ assuescere terræ.

Cum rubet , & torto mitis vindemia collo

Extremis fructus jam solibus , elige Vitem

Si quæ oculos non longa per internodia differt ,

Educat & plures , quarum sapor optimus , uvas ,

Atque ut vere novo , sua cum farmenta reponet

Vinea , nosse queas quod fertiliore notasti

Semen agro , truncu rubeos inscribe colores.

Quæ vero potior satio , quæ forma serendi ,

Omnia divino dudum vulgata Maroni

Dicere nil opus est : at quâ ratione recentem

A teneris Bacchum informes , doceasque labori

Respondere tuo ; paucis hæc plurima vates

Perstrinxit rerum fastigia summa sequutus.

Ac veluti egregiā pīngendi quisquis in arte  
Nomen habet , primis habitumque situmque sī  
guris

Et quæcumque operi seu vis, seu gratia, postquam  
Indidit ipse , rudi permittiit cætera dextræ.  
Sic spatiis vatum princeps inclusus iniquis ,  
Et majora movens animo , quæ multa parabat  
Præterit, atq, aliis post commemoranda relinquit.

Ergo rudes huc Musa manus, jam pullulat agris ,  
Jam nova primævo vestit se vinea ramo.  
Eia agite Agricolæ , rastris , duroque ligone  
Prima juvate novi partūs conamina ; terram .  
Vertite & obliquas radices cogite , cæcas  
Ire vias erebi , & meliorem accersere succum.  
Plura simul primos crescant impune per annos  
Germina , nec Vitis spes tota recumbat in uno  
Palmite : post ternas hyemes manifesta vigoris  
Signa patent ; fluxas digitis tunc denique frondes  
Decuties, neque enim foetus quos parturit, omnes  
Educat , & justo genitrix alit ubere Vitis.

Quæ ratio , quæ causa rei , quâ lege per omnes  
It succus ramos , & frondes explicat arbor ,  
Imo age nutricis quæ tanta potentia terræ  
Auget in immensos sylvestria semina truncos .

Expediam, & causas iterum tentabo latentes.

Tota recens nati sub cortice germinis arbor,  
 Ut perhibent, latet in tenuem contracta figuram;  
 Ipsum adeo vinclis si vis humana solutis.  
 Posset in exiles germen diducere fibras;  
 Continuò teneris ramos miretur & uvas  
 Iavolvi tunicis, atque ut puerilia membra  
 Explicat humano decurrens corpore sanguis;  
 Non aliter piuguis terræ nutritius humor  
 Paulatim insinuat se radicibus imis,  
 Et sole eductus tepido, venasque per omnes  
 Diffusus, ramis animos vegetumque vigorem  
 Sufficit: at Phœbi cum saevis blanda remittit,  
 Deceditque hyemi, tum nec se porrigit ultra.  
 Nec tumet in florem, nec partus educat arbor;  
 Languet iners, cecidere comæ, sylvasq; per omnes  
 Horrent indecores nudato vertice trunci;  
 Quippe pigrum toto fundit se cortice frigus;  
 Nec via per ramos nativo libera succo.  
 Mota autem tellus, & crebro exercita cultu  
 Arboreosque juvat frutices, & graminis herbam;  
 Molliti seu cæca soli spiramina laxet.

I. De plantarum nutritione earumque morbis supra. L;

S, p. 142. & sequentibus,


Affidui labor agricolæ , terrâque minutâ  
 Uberior veniat nascentes humor in herbas ,  
 Seu quæ terra diu tergo vim pertulit æstus  
 Versa manu , nova det fibris alimenta , supinas  
 Plurimus imprimis glebas si diluat imber.

Ergo vocet pluviam votis , durataque fossor  
 Affiduis discat renovare bidentibus arva ,  
 Atque putans Vitem duræ post frigora brumæ  
 Provideat matrem ne germina plura fatigent .  
 Si quem digna manet Lenxi gloria , lunam  
 Consulat ; agrestes moderatur luna labores ,  
 Illius & vario pendet res rustica nutu .  
 Cum semel amissos falcata recolligit ignos ,  
 Si fuerit Vitis macie confecta , putetur :  
 Contra operæ præsit tumido Latonia vultu  
 Pinguis ubi terra est , ubi vinea lætior aquæ  
 Viribus insanis exultat , inutile lignum  
 Et steriles fundens succoso caudice gemmas .

Sed magis effœtas angusta puratio Vites  
 Sospitat , affulgens gracili quam Cynthia cornu ;  
 Pinguiaque in largum submittens brachia fructum  
 Vinitor , elicit plures è Vite racemos  
 Lucentem pleno quam si vocet orbe Dianam ,  
 Vitales æquis succos dispenset utrinque .

Muneribus , neutrâ Vitis neque parte laboret ;  
 Sed quatuor pansum caput in duramina truncus .  
 Explicit, unde novâ reperetur fronde quotannis .

Ne laceros hebes immitti falx vulnere ramos  
 Sauciet , & nisu penetrans majore moretur  
 Delassetque manus , aciem prolixer acutam  
 Rusticus , & durâ jubeat splendescere cote .  
 Seu feriat , nullo ductim se u desecet ietu  
 Vitigenas frondes , uno falx omnia ferro  
 Conficiet : viden ! ut *a* capulo vicina faligne  
 Pars *b* acies cui recta , sinu falcata recurvo  
 Flectitur ; ut ductu frondator simplice Vitem  
 Amputet obliquis eadem in vestigia plagis .  
*A* flexu sinus in *d* rostrum procurrit aduncum  
 Si quid in angusto purgandum ; putria truncis  
 Si qua cavis adimenda : *e* minax in terga securis  
 Prominet , ut cædat dorso , ductimque putator  
 Vincere si qua nequit , repetio desecet ietu .  
 Tutiū est , si non adsunt duramina , ductu  
 Falcis in adversum pressâ rescindere dextrâ ?  
 Nam qui dura petunt cæsim farmenta , recisam



*a* Capulus.

*b* Culter seu recta  
acies.

*c* Sinus seu flexus.

*d* Rostrum.

*e* Securis.



Dilaniant, multo frustati vulnere, Vitem.  
 Plaga solo sit prona, gravem ne combibat imbre  
 Nec gelidam accipiat cælo resupina pruinam.  
 Germinibus super illacrymans nocet humor  
 obortis,  
 Ni procul à gravidis media internodia gemmis  
 Sedulus obliquâ rescindat falce Colonus.

Pressius abnodet quod germen inutile trunco  
 Profilit è duro, pedibusque innascitur imis;  
 Exesum nisi fortè caput resecare, novisque  
 Cogitet effœtam stirpem reparare flagellis  
 Vastior admissò quia plaga putrescit ab imbre;  
 Et Vitis Phœbo Boreaque perusta rigenti  
 Latiūs emoritur resecato vertice, malim  
 Jam veteres infra terram succidere truncos;  
 Atque superjectis solem defendere glebis.  
 Protinus erumpens, plenâ radice, novellos  
 Vinea trasmittit caules, palumque vacantem  
 Contegit, & pingues fructu gravat ubere ramos;  
 Rusticus & palos, renovatâ Vite, retractans;  
 Putria quæque dolet; sincera pedamina vertat,  
 Subinoveat cariosa, solo pendentia figat  
 Altius; & Vitem nodis ne strangulet arctis;  
 Sæpe locum mutet stringens, vinetaque mundans  
 In tenues collecta liget sarmenta maniplos.

Nec

Nec mora post Vitem Saturni falce putata  
 Fosfor adeſt, durosque opera ad majora lacertos  
 Exerit. Umbroſo Fagi ſub tegmine yelis,  
 Doliolumque, & nigra Ceres, vilisque ſuppelleſx  
 Abjicitur; fidus fervat Canis omnia: priuimus  
 It ſenior, glebasque movet, ſubit ordine longo  
 Indiſtincta cohors, operaque & paſſibus æquat.  
 Ille animos regit, atque interdum lumina flectens  
 Admonet herbarum verſas oſtendere cælo  
 Radices, urgere operam, dum nubila pendent,  
 Altius & ferro penetrare in viſcera terræ.  
 Fervet opus, mora nulla viris, allifa bidenti  
 Saxa ſonant, levis in cumulos conſurgit arena,  
 Nudaque, defoſſa circum tellure, Lyæi  
 Crura patent tepidos melius captantia ſoles.  
 Testilis interea Cepas, & olentia latè  
 Allia fert, Rapasque viris; diſcumbitur Ulmo  
 Sub patulâ, facit herba thoros, nec teſtea ceſtat  
 Amphora perque manus, per & ora calentia ferri  
 Purpureos fundens reſupinâ in guttura fluctus.  
 Cœna brevis; revocant fixi tellure ligones;  
 Surgitur, & vires quas dant ſibi pocula; Viti  
 Impendunt, ac vina ſerat meliora precantut.

Senſit ubi priuimos vitis rediviva calores,

Continuò lacrymis oculos suffusa tumentes  
 Stillanti rigat imbre solum, noctesque diesque  
 Collacrymat. Fluidos in vascula cogite fletus  
 Agricolæ; morbos oculorum viteus humor  
 Sanat, & exusti reparat dispendia vultus.  
 Vinea ne properet lacrymis imponere finem,  
 Et teneram soli dubio committere gemmam;  
 Hanc laudem imprudens sibi servet Amigdalus;

anno

Nascenti primos, spem vanam, ostendere flores.  
 Ipse Aries quamvis aurato in vellere, molles  
 Et Zephiros agat, & veris præfigia portet,  
 Nulla tamen Zephiroque fides, verique tepentis;  
 Namq; ubi cessit hyems glaciales pulsa sub Arctos  
 Indignata fugam, retro vestigia torquet  
 Interdum, sævoque furens circum undique flatu  
 Depopulatur opes quas fuderat infacia tellus.  
 Cùm regnat cælo Cancer, nascentis & uvæ  
 Florea lanugo divinum spirat odorem;  
 Arma manu rursus tractare, levique ligone  
 Aggeribus fractis, tellurem æquare memento.  
 Proderit & quæ multa virent injussa, nec ullam  
 Germina spem faciunt digitis rescindere, Viti  
 Majores dant plagæ animos, totumque relictæ

Partitur soboli radix uberrima succum.

At sitiens ubi torret agros Leo , tollite frondis .  
 Luxuriem quā parte breves altissimus umbras  
 Efficit , & rubeis quā matutinus ab undis .  
 Lxtior exoritur Titan ; à sole cadenti  
 Densior immites defendat pampinus uvas ;  
 Nam vespertinū si senserit uva calorem ,  
 Æstibus atescet nīmis , tostique racemi  
 Vina injucundum referēt austera saporem .  
 Præterea gelidis hyemem revocantibus auris ,  
 Longa licet duros tardent sarmenta ligones ,  
 Exercete viri terram ; totumque per annum  
 Qui vineta manent tristes avertite casus .

Sæpe atrox insurgit hyems , & in intima gliscens  
 Membra gelu , vites interficit : ut quid inanes  
 Vinitor effundis lacrymas ! non fletibus istis  
 Tempus eget , vano mulier terat otia questu ,  
 Cura tibi melior , medicas ad vulnera vitis  
 Ferre manus , culpamq; omnem compescere ferro .  
 Semineces truncos rescinde , levique terebrā  
 Rupto aditu , vivas insertans adjice plantas :  
 Truncus adoptivum sociali fœdere ramum  
 Excipiet , gremioque fovens alet ubere succo ,  
 Atque suas frondes , & non sua brachia lætus

Trudet agens, tum post aliquot mirabitur annos  
Et plures uvas, emendatumque saporem.

Sæpe sonans agris ruit aëre grandinis imber,  
Lactentes nil tale timens cùm Vinea frondes  
Explicit: mollis repetito cæditur ictu  
Pampinus, & longi melior spes concidit anni.  
Tarda quidem, sed non præsentior ulla medendi  
Ars erit, infensi quām si Jovis adjuvet iras  
Vinitor, & manibus tollat quæ germina tantis  
Indejecta malis steterint: melioribus orta  
Pampinus auspiciis tibi mox emerget ab ipso  
Vulnere, maternos tamen haud oblita dolores.

Tunc etiam cum lœta novis jam Vinea ramis  
Pubescit, plexa Eruca sub fronde latentes  
Ova fovent, turpique incestant semine Vitæ:  
Seinesasque contras Limax cornutus inertis  
Obducit spumâ; geminam pede contere pestem.

Si teneræ Viti Formica illudit, avaræ  
Gentis opes, parcasque domos, atque horrea verte,  
Nec mora seculo fodiens granaria campo  
Farris inexhaustos aliò convectat acervos.  
Capra yenenatis nascentia morsibus urit  
Germina, ni petulans pecus arceat horrida sepes,  
Audent & timidi Lepores sub luce malignâ  
Molliculas

Molliculas vitis furtim depascere frondes ;  
 Sulphuream prætende facem , fumoque sequaci  
 Tettam averte luem , vel adacto in viscera plūbo  
 Auritam Bacchi regnis procul ejice gentem.

Anno sis instat quoque Vitibus ægra senectus : ]  
 Hoc ubi , languet iners effœto corpore Vitis ,  
 Nudatumque comā tollit caput , aspera rugis  
 Brachia fulcantur ; nodoso tubere tota  
 Prominet , exsuccas alit uvas ; horrida truncum  
 Deformat macies , animosque resumere cultu  
 Non valet. Ergo suos plantis potioribus agros  
 Concedens , det ligna foco quæ debita cellæ  
 Vina negat , propiorque novâ propagine palmos  
 Pressus humi vacuis succedat sedibus hæres.

Has adhibens curas atque hæc præcepta se-  
 quutus

Aspicies largo vites ditescere fœtu.  
 Purpureos autem cum duxerit uva colores  
 Dicendum quæ cura manet postrema Colonos.

Ac primùm sera dum coquitur vindemia , Baccho  
 Instruitur domus , & vinaria vasa parantur.  
 Ille omnes labor unus habet ; pars munda olentis  
 Hospitiis sordes , & torcularia tergit ;  
 Obductas squallore lavat pars altera cupas ;

Empta recens alii medicantur vasa , cavisque  
 Depromunt cellis non uno exercita vino  
 Dolia ; frænando renovat pars vincula Baccho ;  
 Molli pars stupâ rimas obducit hiantes ,  
 Tum puras infundit aquas , intusque catenâ  
 Fæcem agitat ; putres verso cadus ore liquores  
 Evomit , & ventrem repetitâ aspergine purgat.

Instantem , Bacchæo operi ne femina sponsum  
 Contempletur iners , uvis sed cuncta legendis  
 Ante diem paret , & lento de vimine textos  
 Expediat calathos , pacâ mercede cohortem.  
 Femineam conducat , agros amet , & legat uvas  
 Provida quas hyemâ servet mensisque secundis.

Interea superos & numina sancta precetur  
 Sit tranquilla dies , purumque per aëra purus  
 Soleat , & madidis aliò Notus avolet alis.  
 Maturas pluvius quid sœviat Auster in uvas  
 Vidimus heu ! animis necdum dolor excidit ægris ;  
 Nuper enim dulces cum jam matura sapores  
 Uva datet , nigro concrescit in aëre nubes  
 Horrida , quæ magis atque magis densata , Colonî  
 Corda novo quatit ægra metu . quid cogitet Auster  
 Nescia plebs , cælum gemitu , raucoque fatigat  
 Æræ , sed obscuros non æra sonantia nimbos ,

Non gemitus, non vota fugant : ruit imber ab alto  
 Plurimus , & grandi cælum tonat omne tumultu.  
 Nec fragor horrisonus , plaustris nec inhospita  
 tellus

Venales tenuere animas. Pluvialibus uvæ  
 Pene putres miscentur aquis , magnoque labore,  
 Sed non æquali legitur vindemia quæstu :  
 Tristis enim vino facies , vis nulla , saporem  
 Ingratum referens pejores afflat odores.

Si quis inest lento elicitur nunc spiritus igne ;  
 Stillatum sed & ipse vapor densatus in imbreui ,  
 Frigentisque fluens sinuosa per ora lebetis  
 Signa luis manifesta refert ; nam nec sapit ori-  
 Nec stomacho calet , admotos nec suscipit ignes.

Ne properate tamen pluvii formidine cæli.  
 Vosque recantatas quibus est permissa potestas  
 In populos , pœnas indicite , si quis acerbos  
 Præproperus legat ante diem de Vite racemos.  
 Mox ubi tempus erit notos det tibia cantus ,  
 Imperet & toto bacchæos rure labores.

Ac veluti miles , cum proximus imminent hostis ,  
 Intentus bellî signo parat arma , nec audet  
 Injussas miscere manus , nisi murmure rauco  
 Insonet excitas stimulans cava tibia mentes .

Sic avidos ut in arma vocat vindemia cives,  
 Et Dionysiaci signum dat buccina belli,  
 Ferrum omnes durâ subigunt in cote, virique  
 Et matres armantur; eunt diversa manipli  
 Per loca, stridentes subeunt, & agrestia currus  
 Arma vehunt. Collo cava tintinnabula jactans  
 It Sonipes, latèque sonantibus ilia vasis  
 Verberat, & resono ferit aurea fidera pulsū.  
 Urget amor prædæ, campis procedit apertis  
 Structa acies, jamque apparent bacchæia longè  
 Castra racemiferas quadro queis ordine vites  
 Explicuit, viridique Deus munimine sepfit.  
 Pampineis speciosa virent tentoria velis,  
 Et matutinum pluvio hibit æthere rorem  
 Uva suâ sub fronde mali secura futuri.  
 Rusticus interea propior jam vitibus instat,  
 Fosilarumque moras superat, Vepribusque resecati  
 Paudit iter; sepesque, & propugnacula rumpens  
 Spinea, sternit humi Rhodias, Marcotides albas,  
 Fæciniam, Argites, Psythiamq; brevemq; Lagon  
 Altera comprensas manus elevat, altera curvo  
 Colla supina fecat ferro: non parcitur ulli;  
 Non omnes tamen una manet fortuna, calenti  
 Demerguntur aquâ, queis grandior intumet alvus;


Atque ut longa levent olim jejunia , soles  
Ad tepidos siccantur ; agris non peior in ipsis  
Pars avido sub dente sonans absumitur esu .  
Pars calathis delata domos suspeaditur altâ  
Detrabe , fictilibus vel conditum arctior ollis .  
Accumulant alios vasis , & fuste tricorni  
Versatos ad præla trahunt , ubi lœta juventus  
Nuda pedes , palisque manus armata madentes  
Calcando super insliunt , avidoque fluentem  
Jam potant animo laticem , merisque bibaces  
Delibant digitis , & in annua pocula servant .



PRÆDII  
 R U S T I C I  
 LIBER. VIII.

**H**ACTENUS in sterili satis eluctatus arenâ,  
 Et fodere , & ferro lætas compescere Vites  
 Edocui , falcem tractans , durosque Ligones.  
**N**unc cratere manum armatus , nunc sordida musto  
 Vasa gerens , cellas & subterranea Bacchi  
 Hospitia ingredior . Proh quanta silentia ! quantus  
 Horror inest ! lato pendet curvamine fornix  
 Luce carens , fumoque niger ; stant ordine longo  
 Dolia , quæ Culicum globus obsidet , atque bin  
 baci ,  
**G**uttula si qua meri-costis dependeat , ore  
 Sugit , & in varios circumvolat ebrius orbes.  
**B**A C C H E soporiferos qui languida membra  
 per utres  
 Projectus , strepitu procul otia ducis , inertem  
 Excute , quem proflas alto de pectore somnum.  
 Et Bacchi nomine vinum ipsum intelligitur .

VIII. Lib.



L.M. Dumernil d.

I.F. Tard s.



Fare age dic iterum, quæ sensibus hauserat imis,  
 Cum te sepositâ quondam de rupe docentem  
 Audiit Aoniæ contemptor Horatius undæ.

Tu quoque<sup>1</sup> Phœbe pater, mecum per opacâ  
 locorum  
 Ingredere, ignotos audax recludere fontes?  
 Non te Bacchæis Pindi sacra culmina cellis,  
 Pieriosque mero latices mutasse pigebit.

Imâ parte domûs sub fornice lignea vasæ,  
 Torcular, quernosque lacus, & labra Colonus  
 Extruat. Æqua solo, & patulæ contermina portæ,  
 Atque racemiferis sint obvia torcula plaustris:  
 Surgat utrinque arbos in spiram torta, gematque  
 Transversi valido nitens sub pondere præli.  
 Grandior accipiat calcatos cupa racemos,  
 Et per multifores manantia vina canales  
 In vacuas operâ facili defunde Diotas.  
 Horrea sub terris lateant, quò Sirius ardor,  
 Insanæ neque vis hyemis, cælive tumultus  
 Perveniant; nam si tonitru concussa tremiscunt  
 Dolia, pallentem Bacchus formidine vultum  
 Induet, & nullâ color emendabitur arte.

*1. Phœbus quoque sumitur pro furore Poëtico quem  
 vino excitari ajebat Horatius.*

At neque fulmineos tormenta imitata fragores  
Integer, explosos pyrii nec pulveris ictus  
Audiet, emotis neque plausta sonantia vici.

SIT veteri, sit cella mero diversa recenti,  
Frangit enim veteris vires novus hospes, uterque  
Laxè habitet stabulo procul, & torpentibus undis:  
Nec putris Arvernos prope caseus afflet odores.  
Neve cados suppone cadis, ut dextera rimis  
Liberior stupam admoveat, si plena Lyæo  
Dolia laxata laterum compage dehiscant.

CÆSAREIS, si vera fides, data meta triumphis;  
Urbs claro quæ nomen habet de monte, sub ipsâ  
Digna mero meliore cavat cellaria rupe.

Non opus hîc gelidis restinguere pocula lymphis;  
Ipsa suo stupidos exurdant frigore dentes  
Vina recens deprompta cadis. Devota Lyæo  
Explicat in cellis totos Germania luxus.  
Est ubi crustati lateant sub marmore muti,  
Atque auro Bacchi niteat vestita supellex.  
Læta procul pictus præbet spectacula fornix;  
Hinc tremula ebrietas, & inertia mollis, edaces  
Sub pedibus curas, regumque negotia calcant.  
Hinc furor in montes Bacchus agit; inde bifomes  
Centauri Lapithis vacuo-craterem minantur.

Hinc

Hinc spretæ pœnas vates dat : Teius uvæ  
 Façibus hæfentem multo conamine pestem  
 Extrahere incassum tentans : Lenæus amoris  
 Posthabitos passa latices ulciscitur uvæ.  
 Parte aliâ flexa in cubitum cervice recumbit  
 Ennius , & secum dicenda recogitat arma :  
 Stat scyphus ante oculos , & turgida vena Lyæo  
 Carminibus fluit. Ipse adeo cratera rubentein  
 Democritus mediâ retinens in morte , cadentis  
 Supremos animi quærit mollire labores.  
 Bacchus inornatis mediâ testudine mensis  
 Imperitat , currumque thoro despectat ab alto.  
 Olli venter obesus , iners abdomine turget ,  
 Et micat os qualis vento rubet aurea Phœbe :  
 Hinc positi calices , hinc cantharus : ebria circum  
 Turba sedet nudata sinus , similiisque canenti :  
 Pars crinali Hederâ , vernis pars floribus udum  
 Implicuere caput , rubeis baccata renidet  
 Frons papulis , oculi languent , it gutture flatu  
 Crastior , & læto color enitet igneus ore.

V A N A loquor : cellis alias impendire curas  
 Agricolæ , neque enim auratis meliora diotis

*J. Anacreon poëta Lyricus ex Theo insulâ ortus. uva  
 atque strangulatus interdit.*

Vina fluunt : decora ipsa loci sint Dolia lenti  
 Plena mero , foliis & non superillita fulvis.  
 Si quis venalem mercabitur ære Lyæum ,  
 Ante sciat quo nata solo , quos sordida tinxit .  
 Uva pedes. Vinum fert nobile collis ad Austros .  
 Editus , invalidum dant æquora plana liquorem .  
 Cociacis oritur Liber generosus in agris ,  
 Firmus Burdigalæ , Bliteræ mitissimus , asper .  
 Lutetiæ , rupes ab Eremo dicta potentem ,  
 Atque probi generat gustus ; Campania mollem .  
 Educat , austерum Burgundia , Belna severum .  
 Lene merum ripis nomen quod dicit ab altis  
 Cruda coquit nimium pransis alimenta ; Cadurci  
 Vina probant succosa , quibus tabentia pallor .  
 Ora notat ; si cui placeant Vellauna , Neracum .  
 Oderit , atque tuos amet idem Arvernus colles .  
 Græcia floret adhuc , quamvis abstemia , Bacchi  
 Muneribus , si cura virum telluris avitam .  
 Excierit cultu laudem : creat Itala tellus .  
 Ut molles animos , sic mollia vina ; feroce .  
 Et Baccho & populis inspirat Iberia mores .

*I. Vinum molle dicitur quod suave est & nibil habet  
 asperi. Virg. Mollis animus aspero & difficiili opponitur  
 apud Ciceronem & Ovidium.*

Addit utrisque animos Germania : corpora bello ;  
 Vinaque progenerat mensis generosa , senectam  
 Quæ servata ferunt , laudemque ætate merentur .  
 Ipsaque Delphini quondam signata triumphis .  
 Dolia tempus erit plenis depromere cellis ,  
 Mox cum natus , avi , patrisque imitator , & hæres .  
 Teutonicas referet victoria signa per oras .

ALTERA vina rubent , albescunt altera ; multus .  
 Inter rubra color distinguitur , optima funto .  
 Quæ carbunculos ignes imitantia , plenis .  
 Scintillant pateris , & lætam suaviter acri .  
 Titillant sensu linguam . Vehementia tristis .  
 Calculus , & querulæ imprimis odere podagræ .  
 Vatibus , & placidæ sestantibus otia vitæ .  
 Mollia vina placent , stomachoque facillima vincij .  
 Firma nocent capiti ; nodant citè mustea nervos ,  
 Libertas non sera tamen redit , aspera fraudem .  
 Dissimulant , linguam sed cuin vinxere pedesque ,  
 Non faciles mentis redditus . Subtile palatum .  
 Tenuia delectant , sed habent mutabile semp̄ .  
 Ingenium , viâ terrestris , cursusque marini ,  
 Et molles hebetant gustus , vitiantque colorem ;  
 Oceanus contra , deductaque plausta severo .  
 Dant animos premiumque mero ; sic debile corpus .

Obruit & validum labor idem labore firmat.  
 Dulcia languentes morbo , generosa valentes  
 Vina beant , violenta viros , mollissima matres :  
 Alba domant frigus , sed longum æstate calorem  
 Non tolerant. Aqua pernicies carentis Jacchi ,  
 Non eadem est inimica rubro , quod temperat  
 albis .

Optima sunt quæ vina flunt Apiana ratemis :  
 Dulcis in ore sapor vivaxque in pectori virtus.  
 Sed non omnis humus feliciter educat uvam ,  
 Quæ genus & nomen servet , frigentibus agris  
 Humentique solo , mellitum oblita saporem  
 Exoritur ; favet huic regio Bliterensis , & orbis  
 Jam canit extremus quos Frontiniana racemos .  
 Præla domant ; miti Baccho mitissimus aër ,  
 Dulciaque arva placent ; atqui Bliterensibus otia  
 Cæli seu faciem speates , terræque , virùmque  
 Ingenium , nihil est toto clementius orbe.  
 Hinc vetus est vulgi dictum , si rursus Olympi .  
 Affectet superas humana superbia sedes ,  
 Providisse deos Bliteram , donisque vicissim  
 Ornavisse suis. Dat Jupiter aëra purum ,  
 Sol lætos sine nube dies ; nascentibus ultro  
 Terra parens toto se floribus induit anno .

Non

Non satis est Oleis campos vestisse Minervam,  
 Jussit inexhaustos oleum quoque currere fontes. \*
 Ipse suas animos hominum formavit ad artes  
 Delius, & si quid sapiunt mea carmina vatem,  
 Chara mihi dedit hanc cum sanguine patria lau-  
 dem.

Littore Neptunus medios ab utroque per agros  
 Ad Bliteram sibi fecit iter, mirante Colono  
 Ite novos campis fluctus, montesque per ipsos  
 Eōis gravidas opibus transnare carinas.  
 Laudatum mihi nuper opus; nec gratia laudum  
 Nulla fuit: nostro nam carmine clarior Alveus  
 Imperiis Carmane tuis apiana quotannis  
 Vina mihi (Bliteræ carissima dona) tributi  
 Libera transmittit: divino nectare fœtam  
 Lætior ipse ratem caput amnis atundine cinctus  
 Immunuem vehit, & fluctu blanditur amico.  
 Sedibus egressæ vitreis navemque secutæ  
 Dolia circumstant hinc inde, suoque poëtæ  
 Naïades meliorem undâ Parnasside potum  
 Accelerant, quamvis Zephyrus spirantis amœn.  
 Captus odore meti positis flat segnior alis.

Quam varios discant mentiri vina sapores

\* Gabianus fons in agro Bliterensi oleo flilitat.

O o

Quis referat ? sunt qui cupis uvamque, Pyrumq;  
 Et premere, & mixtos jubeant confundere succos.  
 Sunt qui prævalidum fassis mollire Lyæum  
 Non dubitent , alii contrâ languentia calce  
 Vina movent , viresque , & dulce saporis acumen  
 Idæâ stimulant pice , mordacique Synapi.  
 Ille cadis Arabum messes infundit odoras ,  
 Atque novum Casâ medicatur & Iride vinum.  
 Pelliculis alias citreis , Moroque rubenti  
 Quem Baccho natura negat , facit arte colorem ,  
 Ipsæ adeo matres , ne ducant ora bibendo ,  
 Fagincis vittis , acinisque , undâque calenti  
 Austeros didicere meri compescere gustus.

**D**IVITIBUS quicumque volet fucata yenenis  
 Vina paret , tu sinceros à Vite liquores  
 Semper ama, medicata placent, nativaq; profunt:  
 Frigus, & insomnes tamen utraq; corpore morbos,  
 Et fraudes animis , & edaces pectore curas ,  
 Fœdaque vaniloquis abigunt mendacia linguis :

**H**UMANAS scelerum labes ultricibus undis  
 Eluerat quondam legum non irritus auctor ;  
 Cum desolatas è cæli vertice terras  
 Despiciens , felicem uxæ deus optimus usum  
 Edocuit , tristes hominum quo munere foyit

## LIBER VIII.

Relliquias, mundi solatus Vite ruinam.

Tu tamen infidâ dulcedine captus, Jaccho  
 Ah! nimium ne crede, puer formose, sitimque  
 Non animum cyathis extingue; nec infere nervis  
 Semina morborum, quibus afflictabere quondam,  
 Pocula mixta seni fas est odisse, meroque  
 Corporis effæti vires retinere fugaces;  
 Affusis sed ament pueri frigentia lymphis  
 Vina, nec adjectis irritent ignibus ignes.  
 Martia seu fortijam pectori prælia versant;  
 Musarū seu castra colunt, fallacia vīna  
 Formident: nugas vates effutit aniles;  
 Si Baccho nimius; parcè si potus ad arma  
 Profiluit dicenda, sacro ceu numine plenus  
 Nil mortale fonat, grandi sermone sed altos  
 Eloquitur sensus animi, secumque quietā  
 Pace fruens, cier audentes in prælia dextras.  
 Projicit & vitam fortis post sobria miles  
 Pocula, confertosque ruit metuendus in hostes;  
 Atque idem nimio venas inflatus Jaccho  
 Vix gladium tremulus tenet, intra viscera pestis  
 Indigesta furit, fumosque obducit inertes;  
 Fluctuat in varias sibi mens malè conscientia partes,  
 Stantque, labantque pedes, humeris languentia  
 pendent

Brachia , deformiq; graves sub fronte tumescunt  
Et geminos oculi mirantur in aëre soles.

Vulgus ad hæc stupeat rerum portenta , latentes  
Musa doce causas , & , si licet , crue verum.

¶ Q u a se vi moveat, quâ stet compagine corpus,  
Dissipet humanos ut se cibus omnis in artus ,  
Omnia jam vulgata Sophis; sed primus iniquum  
Audeo Socraticas in versum cogere voces.

SANGUINIS hospitium vehit in commune solutas  
Lactea vena dapes ; cor dein cum sanguine vitam  
Diffundit , totique facit commercia moli.  
Tum veluti lentis Bacchi dum massicus humor  
Decoquitur flammis , lateri frigentis aheni  
Hæret , & in tenuem se colligit halitus imbreu;  
Non aliter toto fertur dum corpore sanguis ,  
Pars levior cerebro accipitur , mentisque supremo  
Subditur imperio , nervos ut fusa per omnes  
Mille modis nostros discriminat arbitra motus ,  
Inque suos redeat fontes , vigilemque repulsa  
Admoneat , quæ res sensus ferit extera , mentem.  
Scilicet has animis æterno fædere numen  
Imposuit leges. At munera si quis Jacchi  
Transfiliat , cum sint affinia vina cruori ,  
Elicitur nimius , propriis nec spiritus alveis

Jam capit, nervosque furens irrumpt in omnes;  
 Itque reditque frequens, turbataque fœdera rerū  
 Miscer agens; & dum nullis per membra recurrit  
 Imperiis; cerebrum sine lege, sine ordine pulsat,  
 Fallacique vagam deludit imagine mentem:  
 Hinc animos post vina brevis dementia mutat,  
 Atque incompositos dant ebria corpora motus,

**I**N G E N T I S etiam tormentum lene Lyæus  
 Admovet, & mores hominum recludit opertos;  
 Nam facili bilis quibus intumet acrior irā,  
 In furias & in arma ruunt, qui siccus inanes  
 Mente jocos agitat, tremulo quatit ilia risu  
 Ebrius, & lacrymis oculos humectat obortis.  
 Balbutit sine fine loquax, & inebriat aures.  
 Quippe suas sequitur leges natura, viasque  
 Quas solet ire, novo sanguis violentior auctu  
 Ingreditur nervos, neque mens obsistere contra  
 Jam valet: ut pelago si fortè minaciter alto  
 Increbuere Noti, cedunt operosa magistri  
 Remigia, & fluctu vaga flectitur auspice pinus.  
**U**D A Rosis olim veteres per tempora nexit,  
 Puniceum vel dente **Crocum**, Raphanosque te-  
 rentes  
 Quæsierint riguos solamen inane per hortos;

Tu si quando mades vino, numerumque lucernis  
Accessisse vides, & tecta trementia volvi,  
Dum stomacho Bacchi tacitus deferveat ardor,  
Et membris mens sana tuis commercia vitæ  
Libera restituat, si quid sapis, occule cæcā  
Nocte probrum, facili dans languida membra  
sopori.

Pœna tamen manet usque, vigil flacessere nervos,  
Et torpere gravi caput experiere dolore.  
Ut medeare malo, non est præsentius ullum  
Auxilium, quām si terris faba missa pelasgi-  
Intumuit nitidæ fartagine tosta per ignes,  
Tritaque mox validis intra mortaria pilis  
Diluitur lymphâ, facilique parabilis arte  
Vulcano coquitur, donec vas pulvis ad imum  
Venerit, & posito mansueverit ollula motu.  
Fidilibus rufos pateris defunde liquores,  
Adde peregrinâ dulces ab arundine succos;  
Ora sapore calix ne tristia lædat amaro.  
Seu longas opus est studiis traducere noctes,  
Sive graves capiti tenebras induxit Auster,  
Seu nocuere dapes, illo medicamine vates  
Ingenium emendet, lætusque infecta resuma.  
Carmina, nec fontes alios, quibus ora poëtræ

Proluerint, fluxisse solo malè credat achiyo.

Hac satis ingenio vini, quæ multa supersunt  
Utiliora, novi repetens primordia musti,  
Expediam. Totis ergo vindemia campis  
Cum legitur, suras altè succincta juventus  
Adsit, & advectas nudo pede præterat uvas.  
Bacchus ubi noctem cupis indormiit unam,  
Parce novas uvis miscere calentibus uvas.

Visurus quondam positas trans æqua genætes,  
Insanos jam tum pelagi formetur ad æstus,  
Bissenosq; die dies labris fervescere jussus,  
Majores animos, & tempestate moveri  
Nescia corda paret; si concinnantur in usus  
Vina tuos, metire moram splendore coloris.

Cum dederit fluidos ultro vindemia succos;  
Injectâ ne tursus aquâ turgere racemis  
Folliculos jubeas; lucrum non artibus illis  
Grande paras, malè potus obit malè munia servus.  
Antiquos imitare modos, præloque madentes  
Subde racemorum fæces; quæ vina supersunt  
Crassa quidem, duro sed non ingrata Colono  
Purpureis ibunt per torcularia rivis.

Quod superest, pulsu plenos ubi fusâ laceſſunt  
Musta cados, levibus stupis, & subere summum

Os operi , si vincla tenent fortissima Bacchum;  
 Spuma nec ilignas circumfluat albida costas ,  
 In tenues liber ne spiritus avolet auras ,  
 Depereatque Deo robur. Defervida motus  
 Cum posuere suos , pacataque vina quicrunt ;  
 Ne spatum sit inane cadis , supplere recentes  
 Non pudeat lymphas ; longam nam parca senectam  
 Lympha mero facit , & nimios attemperat æstus.

Hausurus rubeos latices , ubi dolia ferro  
 Quis terebrat , superis aperit spiracula costis ,  
 Circuitu quo se facili propè mobilis aër  
 Infinuet. Solido nam cum plena omnia cælo  
 Undique claudantur , starent suspensa foratis  
 Vina cadis , nisi vis pondusque liquoris aperta  
 Desuper instabiles in dolia truderet auras.  
 Sed quia transmissio corruptitur aëre vinum ,  
 Spiramenta cadi crasso salis obstrue grumo :  
 Si quid enim labis cælo collegerit , omnem  
 Exuet aura , salis per acerbos torta meatus.

VERE novo cum terra sinus tepefacta remisso  
 Arboribus frondes , animamq[ue] virentibus herbis  
 Suscitat , excitâ turbatur fæce Lyæus ,  
 Mutatis nisi cura fuit transfundere testis.

Hanc etiam cellis inimica Canicula pestem

Affat,

Afflat, ubi tepido tenebrosa volumina cælo  
 Torquet ab australi spirans Notus humidus axe,  
 Continuò facies apparet Iurida, tristis  
 Fragrat odor, neque scintillans volat ignea sursum  
 Flammula, sed pateris languet sine robore vinum,  
 Humida fæce gravem purgant vinacea Bacchum,  
 Sed non longa salus: furit immedicabile morbi  
 Virus, & in tetros recidit mala vappa sapore.  
 Si medicas adhibere manus contemnis; acere  
 Sponte fines, acidi nonnulla est gratia vini.

Quos curare nequit potuit prævertere morbos  
 Vinitor, ad solem nudas, exsudet ut humor  
 Noxius, ostendens uvas, vel aprica reponens  
 Testa super, dulces torto vel denique collo  
 Maternâ pendere sinens de Vite racemos;  
 Æquoreis & labra juvat detergere lymphis,  
 Defæcare merum faccis, accendere sulphur,  
 Et suffire cados, & fundere vina, priusquam  
 Sulphureos cælo revomanit nova dolia fumos.

Tempestiva tamen nisi carpitur uva, medendo  
 Non tolles quos cruda feret vindemia morbos:  
 Hinc laudem sperate viri: cum semina fulcis  
 Credere tempus erit, lœtas vel in horrea fruges  
 Condere, rem totam liceat permittere servis;

Dulcia sed rauco spumant cum musta susurro,  
 Tunc domini vigiles rus & vinaria cella  
 Deposunt oculos. Toto labor utilis anno  
 Paucorum minuat, si quæ sunt rure, dierum  
 Tædia: non tæctis habitas ut in urbe superbis,  
 Sed tibi quod pictis ars deterit æmula muris,  
 Ipsa coloratos offert natura per agros.  
 Turba salutantum resonas non obsidet ædes  
 Sed neque tranquillos subit anxia cura penates.  
 Nullus adest teneros recitet qui mollis amores  
 Musicus, augustis spectacula nulla theatris;  
 Sed dulces volucrum cantus, sed frondea curvis.  
 Scena jugis, animo non insidiosa voluptas.

Vos animæ mundo natæ, quos publica rerum  
 Cura manet, qui jura vitis legesque verendâ  
 Majestate datis, vestri quæ furtæ licebunt  
 Temporis, hæc vobis patricieque impendite fundo.  
 Cum primum rubet uva mero, clamosa senatus  
 Jurgia, tranquillo ruris mutate recessu;  
 Otia permittit Themis autumnalia, vestræ  
 Quæ liceat Viti, cellisque imponere leges.

TuQUE adeo veterum scriptis qui laudis amore  
 Pallidus infudas, studia intermitte, tuisque  
 Dolia pro libris agita; quæ vina parabis

Ingenium facient, mox & tibi rure péracti  
 Temporis usuras ingenti fœnore reddent.  
 At neque te Bacchi spes unica pascet, agrorum  
 Blanda quies mirâ saturat dulcedine mentes.

Fatix qui miseros vitat procul urbe tumultus,  
 Inque sinum villæ fugiens, sibi cognitus uni  
 Obscuros numerat riguis in vallibus annos,  
 Permittitque suis huinana negotia fatis.

Nec cupidus, nec egens magnò constantibus  
 aulæ  
 Muneribus, sua non alieno gaudia vultu,  
 Mœroremque trahit, viridaria culta revisens  
 Novit agri fructum: rogitat quæ fertilis arbos,  
 Quæ fuit Agricolæ juges frustrata ligones:  
 Confita nunc propriis manibus pyra carpit & uvas,  
 Pomaque depresso curvantia pondere ramos.  
 Nunc legit obnixus trunko, nunc carmina condens  
 Miratur faciles secura per otia musas.  
 Purpureas musto madidus dum vinitor uvas  
 Colligit, & validi fôrdentia plaustra Juvenci  
 Contentâ cervice trahunt, sedet ipse sub altâ  
 Illice, sollicitosque oculos per singula versans  
 Urget opus; cantu volucres hæc inter amœno  
 Cessantem pascunt animum, fontesque propinquî

Raucisōnō dulces invitant murmure somnos.  
Vespere si Turdus , si se ferat obvia Perdix ,  
Occurratve Lepus canibus , quām gaudet inemptas  
Ferre dapes , Leporisque dolos narrare , per orbes  
Implicitos seu signa pedum turbavit , anhelum  
In sua sive redux vestigia lusit Amilcham.  
Cætera quid referam nostro malè cognita seculo  
Gaudia , semotis uni sibi vivere curis ,  
Nec steriles hominum laudes , nec vana morari  
Præmia , secretos ruri sed degere cælo  
Teste dies , atque ipsa inter spelæa ferarum  
Et sapere , & pravos urbis dediscere mores.





*IX. Lib.*



*E. M. Dumezon d.*

*L. P. Carré f.*



P R A E D I I  
R U S T I C I  
L I B E R I X.

**E**XEGI quæ ruris erant ; stat villa salubri  
 Ædificata loco ; cultos jam Rusticus agros  
 Curat , & agrestum pecus auxiliare laborum :  
 Arboreis jam poma rubent pendentia ramis ;  
 Emicat irriguis Olus hortis ; humida rivis .  
 Prata virent ; nitet alma Ceres ; socialibus uvis  
 Exultat gravis Ulmus : habes jam Rustice plenis  
 Condita vina cadis , missas & in horrea fruges.  
 Quod supereft, ut inempta tuis dem pabula mensis  
 Stagna, Columbarum turres, leporaria, chortemq;  
 Aggredior : mihi proh ! volucrum , proh ! quanta  
     feratum  
 Obvia fert se turba ; suā de turre Columbæ  
 Dulcia certatim lœtis dant murmura rostris :  
 Piscis ad extremas pinnis adremigat oras ;

Q q

Erigitur, tensaque Lepus mihi surrigit aures ;  
 Plurimaque amissio fera libertatis amore  
 Mitis adest placitoque volens se carcere claudit.  
 Occinit expansis plaudens grex plumiger alis,  
 Se pictæ cervicis Anas, & garrulus Anser,  
 Tardâ mole movent ; gressu Gallina modesto  
 Progreditur, pullis comitata loquacibus altum  
 Fert caput, & collum Gallus cristasque comantes  
 Erit, assurgens motis mihi lætior alis.

Sed primos opere in tanto sibi Pavus honores  
 Postulat ; en pictas ut in orbem gemmeus alas  
 Circinat, & caudæ longo quasi syrmate verreas  
 Atria, Gallinas inter Gallumque minorem,  
 Atque humiles inter Capos, Anatumq; cohortem  
 Fluctivagam, cunctis mirantibus, altior unus  
 Ingreditur ; fastuque tumens cristâque superbus  
 Jactat adoratx diademata regia frontis.

Huic laudum cupido mage quam dapis, Hordea  
 tantum

Vel Miliū dabis, aut Vicias, aut vile Cuminū :  
 Odit enim campos avido pede nobilis ales  
 Scalpere, & indigno victum sibi querere furto.  
 Cætera nil cures, quid enim tibi proderit xdes  
 Poncre, vel matri certos affingere nidos :

Hospita Pavonem ramis frondentibus arbor  
Excipit, atque alios avis ambitiosa penates  
Non habitat, magnas veteri quam robore Quercus  
Aut Platanos, Tiliaeve; quibus secura pericli  
Somniferas ducat frondis sub tegmine noctes.  
Ipsa autem, nullis hominum cogentibus, ultro  
Incubat, & sylvis abscondit semina nidos:  
Non Vulpes, non furtar virum formidat, in unum  
Suspicio cadit heu! Satis inculpata maritum.  
Illa dies noctesque suis studiosior ovis  
Insidet, ac mediis apparet rarior agris,  
Et modicam cererem properataq; pabula raptim  
Carpit, ut ad caros redeat, sua gaudia, natos.  
Nequicquam rutilis fese fert obvius alis,  
Nequicquam rotat in varios revoluble gyros  
Corpus, & alarum Pavus blanditur amico  
Verbere, nil plumbasti fastu, Iestique rotatus  
Proficit Hlecebris; non expugnabile peccus  
Conjugis haud alio quam prolis amore tenetur.  
Quas procus indignans curas, viduosque maritus  
Impatiens sic ire dies, flagrat excitus una  
Jam rabie; jam tota graves concedit in iras  
Flamma sinu nutrita: tamen non vindice pennâ  
Audet in oblitam chalami consurgere Pavam,

Obstat enim pia fêmei reverentia sexus :  
Ignibus ova suis inimica requirit , & atro-  
Funere semianimes , & vix-dum munere vitæ  
Donatos perimit fœtus ; natisque reclusam  
Ostendens lucem , lucis pater impius usum  
Exigit ; effræno tantum est in amore furoris.  
Id metuens dulces fruticosis fêmea partus  
Abscondit latebris , & longa ambage viarum ,  
Circitu longo , nemorum per inhospita veros  
Dissimulat calles ; oculosque per omnia circum  
Erigit , observans ne Pavus & ipse vicissim  
Occulta timidos speculetur ab arbore gressus.  
Successu mox lœta suo , longique laboris  
Impatiens , fracto cum primùm emersit ab ovo  
Pars sobolis , secum paucos improvida mater  
Adducit pullos , fratresque relinquit inquis  
Carceribus clausos ; quos tu si forte per omnes  
Quæfitos latebras , & adhuc à matre calentes  
Repperis , haud dubita modicum supplere tepo-  
rem ,  
Fumosoque simo furnisque calentibus uti.  
Et te neglectum , te villica junior , ovum  
Ne pudeat tepidas intra foviſe papillas ;  
Maternasque vices pulchræ conferre volueri ;  
Cæfareo tepefacta finu sic ova fovebat

Livia, regales gaudens excludere pullos.

Quam dabis alma novam blando sub pectorē  
prolem

Accipiet, numeroque parens lætabitur aucto.

Aspice maternam quām dulcīa gaudia mentem

Sollicitant; ut amat sibolis stipante catervā

Prodire, & totā plausum sibi quærere villā

Tum digressa domo per florea prata, per agros.

Dicit agens, & jam sero sub vespere mater

Componit tutos humili super arbore pullos,

Quō noctu vafra non possit subrepere Vulpes;

Debilibus si non valeant concendere pennis,

Ipsa parens oneri succedit & explicat alas;

Aitollitque humeris: ortā jam luce volantes

Desiliunt ramis, & turbā si quis ab omni

Hæret iners, etiamque tremens, etiam inscius alis.

Ausit an invalidis se credere, mater ab alto

Dejicit; & primos jubet exercere volatus.

Non furtim Gallina suos villatica pullos

Sic pariet, totā gloiens sed chorte dolebit,

Et querulo gemitu nidis ablata reposcet

Ova, quibus genitrix vitam transfundat, & artus.

Informes animet, blandoque calore resolvat.

Non tamen has nullo discrimine mater in artus.

Eligitur; suspecta tibi sit junior ætas:

Ut primo varium & mutabile semper in ævo  
Ingenium est, longam Gallina novella quietem  
Odit, & assiduos nescit tolerare labores.  
Quæ placida & solers, usque exercita longo est  
Accipitur veterana; novem, vel plura parenti  
Subjicies, si plura sinu complectitur, ova.  
Si quid te miseret glocitantum, merge salubri  
Flumine, maternos vanis cum quæstibus ignes  
Fluminis excuties ope frigidioris; inani  
Nec desiderio sobolis. patiere dolentes  
Ovorum partu matres cessare diurno.  
Per nares quoque pluma joco trajecta probroso  
Gallinas inhibet querulas; cupidamque cubandis  
Divertunt aliò dolor aut injuria mentem.  
Si quod erit decimo tibi sole vetustius ovum  
Aut viduâ de matre satum procul abjice; proliis  
Nec tibi spem faciat, Galli sine semine natum,  
Vel quod aquis mersum graviore supernatat undâ.  
Hæc autem gelido non aggrediere decembri;  
Friget enim positoque juyes licet igne parentem;  
Hyberno tamen intereunt à frigore pulli.  
Sed neque venturæ soboli felicior æstas:  
Nam tonitru molles, operum primordia, fibras  
Confundit, magno quatiens aviaria metu;

Si nullus, ventis contra pugnantibus, atro-  
Intonuit cælo fragor; at non parcet iniqui  
Stella proterva Canis. Naturā imitare magistram;  
Et cum vere novo volucrum genus omne per altas  
Tecta laremque parat sylvas, luctoque cubili  
Inexit molli junctas cum vellere plumas;  
Tu procul à strepitu nidos compone recenti  
Substratos palea: largus jace pabula circum  
Oblitasque sui matres hortare paratis  
Ut vitam dapibus tueantur, & otia longo  
Immiscere velint operi, nidisque relictis  
Incolunem pallis animam fervare fovendis.

Ova parens pedibus rostroque invertit acuto;  
Ut partes fundat sese calor æquus in omnes:  
Ni faciat tu sæpe rubro signata colore  
Versabis memor ova: tuos cave villica natos  
Tale ministerium, & tenues sibi sumere curas.  
Incautis puer imprudens, avidusque sciendi  
Omnia contrectat manibus, matrique cubant  
Deformis vetulæ magis ossea dextra placebit  
Candida quam pueri manus: hinc Gallina furenti  
Torva tuens oculo primùm, tum voce minaci  
Territat; & si quis nidis accesserit, ipsos  
Afflit in vultus iratior, oraque rostro.

Figit, & ungue manus notat implacata cruentas,  
 Dum moror & nimio per singula versor amore,  
 Vitalem interea senserunt ova calorem :  
 Solvitur, & spatiis ab inanibus humor in auras  
 Avolat, inque dies magis ac magis insita rerum  
 Semina concrescunt formas habitura morando:  
 Ac primum varios genitabile germe in arcus  
 Dividitur, vivumque rudi molimine fœtum  
 Ædificat: geminas albo jam turgida succo  
 Bulla duplex oculorum acies meditatur; utrumq;  
 Jam cerebrum emergit, mox unde medullula,  
 tractu  
 Continuo, totos sese diffundet in artus.  
 Sanguinei jam rubra micant primordia cordis;  
 Adjacet hinc illinc compages ossea quondam,  
 Nunc moles informis, iners, similisque carinæ  
 Quam trabibus manus artificis contexit acernis.

Nil appetet adhuc volucris; mox omnia soles  
 Post quatuor manifesta; pedes & mollia crura  
 Profiliunt, humerisque duplex adnascitur ala:  
 Protrumpunt oculi, caro contegit ossa, caputque  
 Prodigiale tumet: cerebrum calvaria mollis  
 Induit, & longo facies producitur ore:  
 Jam rubet, & luteis differt arteria venis;  
 Jam rami truncō plures oriuntur ab uno,

Et

Et toti faciunt vitæ commercia molli.

Ordine tum duplice costas natura carinæ  
 Adjicit, & ne quid spatio claudatur iniquo,  
 Tegminibus nullis opera imperfecta coarctat:  
 Corda micant adaperta, suos hinc pulmo recludit  
 Folliculos; hinc cola jecur, dapibusq; coquendis  
 Ardet inextinctis mediâ focus ignibus alvo:  
 Nam croceum Pullus molli babit ore vitellum;  
 Hinc alitur, rupto donec se carcere solvat.

Longa cibum pleno defæcant ilia tortu  
 Primaque lacteolum trudunt in vascula succum,  
 Unde novos iterum vitæ purgatur in usus.

Hæc ubi jam confectæ suis accommoda membris  
 Pellis adest; stomacho cordis numerosa supelleæ  
 Contegitur; cæco velans abdomine venter  
 Intestina capit: teneram dum pluma volucrem:  
 Vestierit, gelidis nondum committitur auris;  
 Sed jacet in ventrem medioque liquamine Pullus  
 Innatat; huic caput & truncus flectuntur in  
     atcum,  
 Atque fatiscentes pendent cum cruribus alæ;  
 Claustraque jam rostro rupturus iniqua putamen  
 Agreditur; fractoque emergit lætus ab ovo:  
 Miratur lucem insolitam, linguaque solutâ  
 Pipilat, & tencram cognoscit voce parenzem,

Inque sinus refugit tepidos, & pabula gustat  
Mollia, vel matris rostro confracta molari.

Ah! ne se nimiis ingurgitet helluo granis:  
Indigestus obest stomacho cibus; hinc mala morbi  
Semina; præcipitesque obitus: age Villica molli  
Sæpe manu pressans tenta num plenior esu  
Ingluvies: fratrum semotus ab agmine, cribro  
Supponatur edax, nimias dum concoquat escas  
Et per longa gulam frænet jejunia Pullus.

Vimineis ipsam clathris include parentem,  
Si procul errat agris, pullosque fatigat eundo:  
Non seret impatiens ardo Gallina teneri  
Carcere, ludit enim circum gremioque foveatus  
Progenies, humerosque super lasciva juventus.  
Affilit, & rostro maternas vellicat alas;  
Bellaque si quæ vigent, fratrum certamine gaudet  
Mater, & auxiliij jam tuni præsaga futuri,  
Læta videt quantis animis, & qualibus olim  
Viribus incessent Aquilam Milvosque rapaces  
Regnandam accipient volucrum si quando cohortem.

At postquam solidæ stabunt jam robore vires  
Libera vicinis mater patiabitur agris:  
Hinc illinc Pulli glomerantur; at illa recurvo  
Ungue dapes rimata, solum dum scalpit, in omnes

tert animum casus ; & ubi circumvolat acer  
Infidias Pullis meditatus ab æthere Milvus ;  
Non turpi dat terga fugæ Gallina , sed altis  
Assurgens animis , vocat agmina cara sororum ;  
Demissisq; ad humum pennis ( quo tegmine Pulli  
Securi lateant ) horrentibus hispida plumis  
Colla caputque ferox levat in sublime , duellum  
Nec refugit , sed voce minax interrita lento  
Provocat , & diris abigit clangoribus hostem .  
Improvisa novo redeant si frigora vere ,  
Villica flexibili calathos è vimine textos  
Mollibus insternat plumis , queis sedula mater  
Progeniem soveat pennis amplexa rigentem .  
At non ulla magis teneræ metuenda volucrī  
Pestis crit , quām si fauces pituita rigentes  
Obsidet , & linguam crustà vestivit inertī .  
Rumpe moras Pullū manibus cape ; molliter ægrū  
Os aperi , facilemque sequi radicītus aude  
Pelliculam summā tractim divellere linguā .  
Mox ubi jam teneros nutrit Pullaster amores ,  
Bellaque discordes surgunt in mutua fratres ,  
Jurgia componens ferro se villicus armet ;  
Spemque maritalis thalami blandumque parentis  
Nomen & officium tollat , menseisque saginet

Post aliquot grandem mutato nomine Capum :  
Hunc arctis clausum spatiis , & luce carentem  
Molle super fœnum statues , dilutaque lymphis  
Hordea prosubigens teretes formabis in offas ;  
Et largâ dabis usque manu , dum mole laboret  
Ipse suâ , dorsum pingui distentus opimo :

Si qua sūx capiunt Gallinam tædia prolis ;  
Jam neque demissis riget amplius horrida pennis ;  
Nec sobolem crebris singultibus anxia mater  
Compellat glociens , neque circumducere gaudet ;  
Semimarem teneris altorem suffice pullis ;  
Atque novas artes & non sua munia Capum  
Ut doceas , orbæque inspries prolis amorem ,  
Urticas adhibe , & plumis sub ventre revulsis  
Punge cutem ; tacitâ impatiens prurigine Capus  
Admittet molli tectum lanugine pullum ,  
Qui tepidos de more sinus , & amica sub alis  
Tecta petit , plumisque fricat nascentibus alvum .  
Pruritum stimulosque levi imitescere tactu  
Sentit ; & ut blandum utilitas inducit amorem ;  
Capus adoptivos ( facti quæ gratia ) natos  
Diligit , & magnâ comitantum astante catervâ  
Ingreditur gaudens animis , ad pascua Pullos  
Ducit agens ; & qui dominari matribus ipsis  
Debuerat ,

Debuerat vir. & custos, uxoria spado  
 Plumens officia, & maternas excolit artes :  
 Mollier & voceni glaciens effeminat ipsam ;  
 Nec pudet immemorem generis, ridente Colono,  
 Galle tuam matres inter deducere prolem.

Anser Anasque suos quamvis excludere pullos  
 Optarint, tales neutri committite curas :  
 Languet enim genus hoc avium, nisi corpora lym-  
 phis  
 Abluerint; at ubi pigras adiere paludes,  
 Vitalem reduces inimico rore calorem  
 Extingunt, neque jam Pullus, sed pestifex oris  
 Exit oder, toras latè qui polluit ædes.

Incubat & nutrit Anates Gallina tenelloz  
 Pascit agris, donec turmæ piscina vagant  
 Obvia nativos fluviorum invitet amores :  
 Protinus & gressu præcepit humilique volatu  
 Inspectas, sua regna, petat gressus plumeus undas.  
 Amens & passis Gallina exterrita pennis  
 Clamat, & alternas volat irrequieta per oras ;  
 Prodigia quin etiam vitæ se prona per undas  
 Mittit, & audaces revocans ad littora pullos,  
 Monstrat quâ faciliter possint emergere ripâ :  
 Nil minus interea perguant colludere lymphis  
 Et mergi, & fluidos humeris infundere rotas,

Remigioque pedum, & rostro versare procaci  
 Flumina, & exig<sup>u</sup>is caput objectare procellis.  
 Diversum stupefacta genus tum denique nescit,  
 Et tacitum sub corde premens Gallina dolorem  
 Ad proprias ultro redit incomitata volucres.

Illa licet socium jam non agat amplius agmen,  
 Gramineis tamen usque cibos Anaticulus arvis  
 Rimatur, catus & tristes prævertere casus;  
 Garrulitatis enim sibi conscius ipse, lapillum  
 Mordicus ore tenet, quoties sublime volantes  
 Prædæ Aquilas inhiare videt; tacitusque salutem  
 Amne petit, quo dum fluctu suspensus oberrat,  
 Per resonas læto clamore tumultuat undas:  
 Jamque Aquilâ veniente, caput demittit in  
 amnem,  
 Et procul extat aquis, hostem frustratus ab alto  
 Delapsum, & madidis revolantem tardius alis.  
 Mutuus amnicolas constanti fœdere pullos  
 Jungit amor; simul herbosis pascuntur in agris;  
 Turmatimque lacus & dulcia balnea querunt.  
 Non ea pullastros pax & concordia Gallos  
 Colligat, æternis animos ignescere rixis,  
 Æternis acui videoas assultibus iras:  
 Dein ubi rivales inter majora moventur  
 Pro gregis imperio, dulci pro conju<sup>ge</sup> bella;

Nec dominum nec habere parem cristata volucris  
 Jam patitur; fixumque manet vel sanguine regnum  
 Quærere, vel claro miseram dare funere vitam;  
 Non tacitas nemorum latebras, secretaque bello  
 Quærunt arva: palam mediâ proceditur aulâ,  
 Urget ubi stimulatque animos præsentia matrum.  
 Colla jubis hirsuta rigent, palearia mento  
 Dira rubent, flagrant oculi, furor iraque gressus  
 Præcipitant; pugnæ præludia nulla, sed ambo  
 Partibus adversis facto simul impete duris  
 Pectora pectoribus quatunt, exertaque rostris  
 Rostra petunt, strictosque repulsant unguibus  
 unguies:  
 Avulsæ volitant plumæ, crux irrigat artus;  
 Necdum odiis, iræque datum satis, horrida nec-  
 dum  
 Bella cadunt, domitum viator dum straverit hos-  
 tem,  
 Ductaque pulset ovans plaudentibus ilia pennis,  
 Et sublime caput circumferat, atque triumphis  
 Occinat ipse suis. Fatalibus eripe viatum  
 Dissidiis, & humili suspiria longa trahentem  
 Dede neci, luctantem animam mucrone resolvens.  
 Fortior & fuso peperit qui sanguine regnum,  
 Imperet, & matres tueatur ametque maritus.  
 Olli grande decus majestatemque verendam.

Conciliant & qui fronti supereminet altæ  
 Fastigatus apex, & quæ per colla pet armos.  
 Aurea splendescit latè juba, quæque rubenti  
 Barba jacet mento, calcaria quæ simul armant  
 Exornantque pedes, & non dejecta, sed altum.  
 In caput, inque humeros erecta volumina caudæ.

Hoc habitu matres supra qui vertice toto  
 Eminet, & lignas habet alite principe vites  
 Agmen agat: Gallina duci comes ibit eunti,  
 Servitiumque feret, nec defensore marito  
 Audacem metuet Milvum, Vulpemque dolosam  
 Ipse adeo libycis Leo formidatus in agris  
 Horret ad aspectum Galli; nec fistere contra  
 Aucti, ubi sævas se martius ales in iras  
 Et plausu laterum cantuque hortatur acuto;  
 Nil sibi sed pavidæ volucrum timet omnia turbæ,  
 Et vigiles, dubius si quis fragor impulit aures,  
 Arduus assurgens oculos fert: omnia circum.  
 Et jubet auxilio tutas consistere matres:

Ille suas etiam curas impendit alendis  
 Conjugibus, pedibusque solum rimatus aduncis;  
 Abstinet ipse tibo, vir & pater optimus, & quas  
 Omnia tentanti labor improbus extudit escas  
 Partitur matres inter pullosque sequaces.

Majores habitu Galli , quibus indica nomen  
 Fecit humus , potuere novum dediscere mundum  
 Non patrios mores & libertatis amorem ;  
 Nam dominos odere duces , odere tyrannos ;  
 Et si forte jocos agitans in valle reduxit  
 Alituum custos , insignia regia , chartam  
 Alliget ad Galli collum ; plebs excita circum  
 Infremit , intentatque minas , ac torva tuetur.  
 Tum super assiliens humeros , & candida mordax  
 Colla petit , donec rostro quis vindice fastus  
 Auferat , & raptis per mutua vulnera clarus  
 Exuvias , alto circumferat ore papyrum.

Indicat barbaricos quoque mores duraque ges-  
 tans  
 Corda , sui nec amore viri Gallinae , nec ullis  
 Tangitur illecebris ; cupidus licet ille placendi  
 Mollia vere novo tondentem gramina sponsam  
 Circumeat plumis visus sibi pulchrior hirtis ,  
 Illa solo fixos oculos tenet usque , maritum  
 Nil cutans , etiam tensas cum portigit alas  
 Coactoque tumens collo fastuque superbus  
 Purpurat ingluviem , pendente proboscide rostrum  
 Contegit , & partes tumidus se versat in omnes ,  
 Dein ululans longis singultibus aera rumpit .

Pava suum contra sic diligit anxia Pavum .

Conjuge defuncto moriatur ut ipsa , tuosque  
 Phædra , tuos Sappho graiis soror addita musis ;  
 Atque tuos æquet Dido vel vincat amores.  
 Præcludens animam laqueo miserabile Phædra  
 Pendet onus , Sappho æoliis immarginatur undis ;  
 Conscendit moritura rogos , abrumpere vitam  
 Nec potuit , cæso tristis nisi pectori Dido  
 Jam properanti animæ recluderet ense meatus.  
 Amisso thalami socio peritura nec ignes  
 Paya sibi , nec quærit aquas , gladiosque cruentos ;  
 Omnia supplet amor flammis violentior , ipso  
 Durior & ferro , salmis & amarior undis ;  
 Ignibus urit amor , vel acuto corda dolore  
 Dissecat aut lacrymis animam suffocat acerbis .  
 Non ita lugubres amisso compare Cygni  
 Femina dat fletus , canit exequalia primùm  
 Justa viro , tum per ripas moritura silentes  
 Errat , & ipsa sui cantatrix funeris , horam  
 Provocat extremam ; festivo carmine fluctus  
 Attestata , coines quam gaudeat ire marito.  
 Chortales inter volucres ne querite Cygnum ,  
 Ettoreas habitat ripas , loca sola , suisque  
 Se modulis ipsum recreat , tenuique beatam  
 Riscatu tolerat circum vaga flumina vitam.

Mxandri tacito sed gaudeat ille recessu,  
 Et liquidis tenuerum modulis soletur amorem;  
 Tu mensas ornare cibis non cantibus aures  
 Pascere sollicitus, Capis instabis alendis;  
 Aequoreus non deerit Anas, nec garrulus Anser  
 Quem largo sale continges; plumamque revulsam  
 Servabis thalamo, cui mollius ossa reponas:  
 Et nobis dabit ille suas scriptoribus alas  
 Quies heu! s̄æpe pigrā non altius alite vates  
 Surgit humo, cantuque novus strepit Anser  
 inepto.

Culta vagetur Anas per rura, sed Anser alatus  
 Præfecto custode; fatos nam morsibus agtos  
 Demolitur edax & adurit stercore prata;  
 Atque oblitus solidis Anserculus herbis.  
 Abrumpit miserè collum, moriensque voraci  
 Gramen in ore tenet nondum tellure revulsum.

Adsit & aurato Pavus spectandus amictu;  
 Excubias agat ille vigil suprema domorum  
 Culmina nocte tenens, det pennas sponte fluentes  
 Ornandis regum domibus, templisque deorum,  
 Coniferisque ducum galeis, det & aurea flabra  
 Quicis molles animant Zephyros æstate puellæ:  
 Romulidumque fames licet ambitiosa decoras  
 Quæsierit volucres epulis, tu pone superbas

Fræna gulæ; neque enim propter convivia Pavus  
 Nascitur, at blando recreet qui lumina visu.  
 Gallinas alat in primis, & Villica laudem  
 Hinc & speret opes, lautisque opsonia mensis  
 Pabula spargat humi, primùm cum manè cubili  
 Desiliere, priusquam diffundantur in agros:  
 Dein ubi clamoras revocat spes certa ciborum,  
 Hesperiumque cadens jam sol declinat in æquor.  
 Hordea vel Miliū dentur, furfurque farinā  
 Excretus modicè, nam si nil farris habebit  
 Rejice, nec placeant ficu, mollissima, pressæ  
 Tax oleæ, contrita gravi vinacea prælo,  
 Quæ aiunt saturas dapibus sterilescere matrem:  
 Proderit ad partus Cythisum: vel semina gratae  
 Cannabis, aut Mori dulces apponere bacca,  
 Quæ si defuerint, viles studiosa minutim  
 Villica Laetus truncet, Caulesque visentes,  
 Aligeramque vocet moto clamore cohortem:  
 Plumeus expansis exercitus affluet alis;  
 Ac veluti si quando fores tenuere potentum  
 Præcipites in opum turmæ; sperataque prodit  
 Sportula plena cibis, ingens fit murmur; & una  
 Circumstant omnes, cubitisque prementibus  
 adiungit.  
 Et postea mixto vocum clamore fatigant,

Sic ubi vel cicerem vel oluscula truncata resertis  
 Villica fert calathis, circum genus omne vo-  
 lantum  
 Irruit, ardente licet ut plura juventus  
 Insiliunt gressio pulli: dextramque morantem  
 Sollicitant, plenis dum pabula larga canistris  
 Expediat; querulis avium nec vocibus aët  
 Sed legulo pulsata sonet nunc area rostro.

Villica spectat aves gaadens, numerumque  
 recenset;  
 In primis Anatum sparsæ timet illa cohorti:  
 Nam cadit interdum planoque Anaticula dorso  
 Incumbens resupina, pedes collumque per artas  
 Ne quicquam movet exagitans, infletere sursum  
 Corpus & ad terram versis insistere plantis  
 Non valet, immotiturque loco, nisi forte ja-  
 centem  
 Erigat, & socios det Villica jungere pullos.

Porticus æstivos defendat frondea soles,  
 Et pluvio chortale pecus tueatur ab imbre;  
 Hic cineres affundet, quibus se laxa volutet  
 Pulvereo Gallina solo; sit & obvia lympha,  
 Quam non prona vadis, sed tenso ad sydera collo  
 Haustibus absorbet repetitis: alveus unda  
 Plenus erit, brevibusque cavis immissa hibentum  
 Hinc illinc capita accipiet, ne desuper alvi

Proluvie conspurget aquas Gallina nitentes.

Ipsa autem calidis aviaria proxima furnis  
 Transmissum admittant ignem fumosque salubres;  
 Sed domini nitidis procul absint ædibus, imam,  
 Nec subeant Pulli, nudâ nisi pelle culinam,  
 Membraque porcino vestiti pingua lardo:  
 Pullus enim mundosque simo Gallina penates  
 Inquinat, & famulas lucis prænuntius ales  
 Manè vocans ad pensa manus, soleisque canora  
 Voce citans abigit somnos, & blanda dierum  
 Otia turbat Anas; ori nec temperat Anser  
 Usque laceffitas rumpens clangoribus aures.

Quare age & angustos hnmili sub fornice nidos.  
 Alitibus compone tui prope testa coloni;  
 Gaudet enim vigili Gallo, qui manè penates  
 Excitet, & cantu somnos abrumpat acuto.  
 Tutius est crassis excisa cubilia inuris  
 Fingete quām nudo fixis in pariete clavis,  
 Vimineos avium thalamo suspendere qualos.  
 Roboreum cellis tignum præpone cavatis  
 Ne præceps nidis avis involvet ovaque duris  
 Affiliens frangat pedibus; nam bina relinques  
 Matribus in sobolis spem parturientibus ova  
 Putria sint licet aut gypso conficta tenaci.

Sedibus in mediis crates suspende, dolatis  
 In quadrum baculis; ne quos sopor altus habebit  
 Dubrica decipiatur titubantes pertica Pullos.  
 Ut thalamos iterum, si qui labuntur, in altos  
 Consurgant, muro proclivis adhæreat affer  
 Formatis asper gradibus: pat scandula matres  
 Adjuver è pastu reduces, ut ad alma quietis  
 Munera succedant domibus. Sed nocte sub ipsa  
 Applicitas remove scalas; ne vafra subintrer,  
 Et vertat placidos Vulpecula funere somnos;  
 Omnia tentat enim fera pessima, sanguine siccans  
 Ut satiet fauces, & gallinaria, tristi  
 Cæde furens, miserè funestet imagine cladis.  
 Tu Vulpi quoque nocte dolos; nisi retia proficiat  
 Infandum proscibe caput, raptisque juventus  
 Venandi studio properet collecta sub armis,  
 Oecisamque feram lato clamore reportans  
 Infestos reseret dentes, faucesque recenti  
 Cæde rubras pagos circum vicinaque monstrans  
 Compita, matronis ultro donantibus, ova  
 Colligat, & meritos paret in convivia pullos.  
 Hæc ego Masseraco meditabar rure, quietâ  
 Tarnis ubi, ripis jam decrescentibus, undâ  
 Lambere gaudet agros, & demiratus ab alto

Gurgite nascentem villam , cōpōsque jacentes ;  
Hæret iners , nequitque moras ; & prædia circum  
Lentis errat aquis , studiosus & ipse locorum  
Et placidi , quo nos quoque vix avellimur , off.  
Amnis ubi flexis redit in se pigrior undis ,  
Mollia prata jacent ; adverso littore rupes  
Prominet in scenæ faciem , quam plurima vestit  
Arbor : aquæ dives mediâ de rupe sub auras  
Fons oritur , quem dura parens eaixa rigentes  
Præcipitem jacit in scopulos : dolet ille beatos  
Mafferaci non posse locos decurrere Iymphis ;  
Vicinumque petens magno cum murmure Tarning  
Indecores queritur volvi sine nomine flatus .  
Ad strepitum labentis aquæ cum fæpe solerem  
Gramincis recubare thoris , & amœna volvulum  
Pennatos errare greges per prata viderem ,  
Novi quām faciles veniant in carmina musæ ,  
Has ubi tranquillus querulâ procul urbe recessus  
Invitat ; pariterque placent & dulcia rura ,  
Hospitis & facies jucundo blandior ager .







L. M. Dumesnil d.

L. F. L. J.



# PRAEDII RUSTICI

LIBER X.

**Q**Uæ juvet, & lætas faciat quæ cura Colum-  
bas,

Quos præbere cibos, quæ præstet ponere testa,  
Quæ studia & mores, quæ sit clementia gentis  
Lamonide! tua jussa, canam. Dum tenuia conor,  
Tu regni interea curas & pondera rerum  
Indeſellus obis; tu ſufficis omnibus unus,  
Viſus & imperium majestatisque verendam  
Atque animi magnos hauiſſe à principe ſensus.  
Tantus ad agrestes nugas deſcende, tuique  
Viſe diu ſimilis; votorum hæc ſumma meorum:  
Cærera Rex æqui justissimus arbiter ultro  
Sufficiet; meritisque datos æquabit honores.

Principiò ſedes, ſtatioque paranda Columbi,  
Urbe domoque procul: volucrum ne dulcia turbet

Otia vicinus fragor ; aut in septa domorum  
 Furtivo insinuans lese lapsu exiguus Mus  
 Nidorum populetur opes ; pastuque reversa  
 Incassum vacuis mater superincubet ovis.

Præterea sylvas , fluviosque odere propinquos  
 Idaliæ volucres : aspectum sylva patentem  
 Eripit , aut ramis prædo defensu's inquis  
 Subsidet Accipiter , cæloque frementibus Euris  
 Importuna cinct concusæ murmura frondes.

Nec minus undarum nocet illætabile murmur  
 Ipsa etiam fluvii vicinia sæpe Columbas  
 Temperie propioris aquæ , studioque lavandi  
 Invitat dorso puras infundere lymphas :  
 Unde suum repetens mater post balnea nidum ,  
 Incubat ; atque finus madefacta , tepentibus ovis  
 Vitalem tollit , quem foverat ante , calorem.

Quà molli sensim tuinet altior aggere tellus ;  
 Unde patet latè liber prospectus in altam  
 Planitem , modò sit ventis impervia sedes ,  
 Seu Baccho vestitus ager , seu consitus herbâ :  
 Illic pone larem , locus optimus ille Columbæ.  
 Marmoreis domus assurgat suffulta columnis  
 Siñ alios rarum marmor servetur in usus ;  
 Impensæ parcus , communibus utere faxis ,

Undique circundans murum modò lubrica fallat  
Lamina nitentes te&ta ad sublimia Mures.

Ipsa autem spatiis domus haud claudatur ini-  
quis.

Angustos odit volucris cytheræa penates.

Lux nimia invalidos pullorum lœdit ocellos :  
Sufficiuntque duæ , justo tamen ore , fenestræ.  
Ad medium conversa diem minor altera solem  
Excipit hybernum , medio patet altera testo.  
Neve subire domos Milvus queat , utraque clas-  
thro

Munitur , cibrum forulis imitante rotundis.

Multi adeo muros lapidum cinxere coronâ ;  
Quia piger hyberno recreari sole Columbus  
Possit , & ex leges aptare ex ordine plumas.

Præterea muris niveam superilline calcem :  
Qualis enim uitidis vulgo color infidet alis ;  
Talem pura suis ales lætatur inesse  
Mænibus ; hospitium seu candida mœnia mons-  
tent ;

Seu magis a'liciat carentis gratia tecti.  
Attamen & curas , primumque impende laborem,  
Interiora domûs , nidosque parare decentes.  
Quot sibi nidorum formas noyus extudit usus

Quis numeret ! lento textos de vimine clavis  
Suspendunt alii calathos ; fabilia multi  
Ligna adhibent , truncis etiam , saxove cavato  
Sæpe columbinos alii fodere penates.  
Quæ tu cuncta procul non sana cubilia prudens  
Rejice ; nam turpes dant frigida saxa podagras  
Lignaque vermiculos molli importuna Columbo  
Monstra fovent. Quod tu pessis genus omne ca-  
vebis ,

Si reretes siccо singas ex imbrice nidos.  
Nam furnis argilla diu durata , calores  
Æstivos , arcetque eadem penetrabile frigus ,  
Nec lento lapidum in morem sudore madescit.

Stabit ubi perfecta domus , penetralibus hospes  
Succedat , qui spe curas non fallat inani.  
Namque Columbarum duplex genus , altera major  
Corpore , naturā clementior , alba colore :  
Aligetos habet illa pedes , ocreataque tardè  
Crura movet , plumis passim illa quicata retentis.  
At non innocuus pulchræ decor ille volucri ,  
Sive dapes , vel aquam sitiens de fonte requirat.  
Namque imis gradiens verrit vestigia plumis.  
Collectisque redux inundata cubilia fœdat  
Sordibus , aut teneros inimico flumine pullos

Lædit : quodque magis miserebere , sedula mater  
 Dum caro foveat ova sinu , propiusque tepenti  
 Admovet , offensas si quis fragor impulit aures ,  
 Sese præcipiti fert in sublime volatu  
 Immemor , & geminos agit extra limina fœtus.  
 Hæc ~~mat~~tuens , pedibus quas Jupiter addidit alas  
 Tondere , & vanum poteris rescindere luxum.  
 Huic non absimilem fert Cypria terra Columbam ,  
 Quæ circum positis cristato vertice plumis  
 Altior ingreditur , regumque insignia jactat .

Utraque fœturæ est habilis ; nam seu furit agris  
 Syrius , aut hyemis redit inclemens , numquam  
 Cura cadit sobolis : vix nido abierte gemelli ,  
 Cum redit ovorum primus labor . Hanc ego  
 cunctis

Anteferam , si parcat heri curisque , reique ;  
 Et circum facili , gentis de more , rapinâ  
 Vivat agris , dum larga satis dat pabula tellus .

Altera mole minor , nec tam fœcunda , domorum  
 Alta petit , gaudetque locos habitare remotos .  
 Non illi cicur ingenium , non candida vestis ,  
 Sed cineri color affinis . Non ulla moratur  
 Plumi pedes , non ullus apex in vertice surgit .  
 Hæc , tristi dum terra gelu riget aspera , nullam

Pigra parens edit sobolem : at quo tempore campi  
 Pabula sufficiunt , vicino quærit inemptas  
 Rure dapes , parvisque parat convivia furtis

Plumipedem hanc dicunt , faxatilis ista vocatur  
 Quod turres & saxa habitet. Si foedera secum  
 Ambæ incant , iisdemque agitent sub mœnibus  
 ævum;

Densior & patribus meliore simillima parte  
 Mox tibi commisto surget de sanguine proles  
 Quæ parcat victu , & fœtus cum mensibus æquer.

Ergo age , quas in spem statuis submittere  
 gentis

Elige , & ut populis selecta colonia ponat  
 Fundamenta novi ; captivam claude paratis  
 Ædibus , & quamvis tristem ne carcere solvas  
 Imprudens , donec primos oblita penates ,  
 Et jussis habitet rectis , & amoribus expes .  
 Audeat indulgere novis : tum libera toto  
 Rure volet , portis uno post mense reclusis.  
 Ne tamen à domibus cælo invitante recedat  
 Longius , atque suas sub noctem nesciat ædes  
 Oblitæ remeare viâ , mittatur in auras  
 Cum fuerit subfuscæ dies , vel proximus Hesper.  
 Excursus tunc namque breves proprioribus agris

Tentabit, neque se nigranti credere cælo  
 Ausa, novis discet paulatim affuescere testis.  
 Quas ne fortè domos mutatis transfuga signis  
 Desereret Cyptius volucris, nova castra sequi-  
 tus;

Moris erat veterum, foribus suspendere Murem  
 Pennatum, cæsique caput deformè Juvenci;  
 Nec non balsameos, storacisque incendere odo-  
 res,

Otentare Lupi caput, immundosque rapacis  
 Ardeolæ cineres medicatis spargere testis.

Confilio melior tu larga cibaria præbe,  
 Afficiatque tuas saturum præsepe Columbas.

Dives terra sinu dum condita servat avaro  
 Semina, maturæ necdum dant pabula messes,  
 Nequicquam tunc ungue solui rostroque laces-  
 sunt.

Pasce libens, vanumque pius miserere laborem,  
 Et quacumque die bis measam appone vocatis,  
 Primum ubi nona samem cæli collegerit hora;  
 Atque illæ rauco plangentes gurture victimæ  
 Sollicito poscent strepitu; tum pabula rursus  
 Largâ mitte manu, cum sole cadente penates  
 Et sobolem, cælo jam frigidiore, revisunt.

Ast ubi sol medius breviores fecerit umbras,  
 Ne teatis succede intempestiva datus  
 Prandia, nam thalamis, current ut corpora, sese  
 Componunt iterum, & mediâ quasi nocte siletur.  
 Si quæ forte dapes magis arrisere Columbo,  
 Ut Viciae, & Miliū, & pallentis grana Cumini,  
 Vere dabis, nam vere cibis melioribus altrix  
 Mater eget, sobolesque : hyemi seryentur ha-  
 bendæ

Communes vilesque dapes ; ut Avena, legumen,  
 Et cribris excreta Ceres, glandesque minutæ.

Sunt qui non stabulis mediâ sed chorte Colubas  
 Pascant : sive pecus placeat numerare, cubantis  
 Seu nolint matris dulcem obturbare laborem.  
 Si mos ille juvat, certam doceantur ad horam  
 Urgentem tolerare famem : dum sibila mittas  
 Expectata diu, clamosave cymbala pulses,  
 Aut allisa manu repetito verbere saxa  
 Dent sonitum, totamque vocent ad pabula gen-  
 tem.

Paret, & auditio circumfluit undique signo,  
 Quamque potest escam rapit impigra quæque  
 volucris.

Dum reliquæ pasci satagunt, si videris unam  
 Fastidire

Fastidire cibos tristemque insistere te&is ;

Sal appone , cibi primum sal reddit amorem.

Quod nisi & assiduus purgas fætentibus ædes  
 Sordibus atque procul defuncta cadavera mittis.  
 Incassum tua te&ta gemes deserta Columbis ;  
 Namque placet mundæ volueri mundissima sedes.  
 Sæpius ergo domos purga ; nec stercoris usum  
 Sperne columbini , generosior inde Lyæus ,  
 Lætior inde Ceres ; languentibus inde medentur  
 Pastores ovibus : parcus tamen utere , Vitem  
 Sive foves ; seu stercus humo cum semine condis:  
 Urit enim Vites simus igneus , urit Aristas.

Quod supereft , Milvum inprimis aveſte ra-  
 pacem ,  
 Milvus enim , quo non prædo crudelior alter ,  
 Nec quifallendi plures exerceat artes ,  
 Moliri infidias populo non ceſſat inermi.  
 Nunc medio ſeſe ſublinnis in aëre librat.  
 Perniciem meditans , & idonea tempora captans :  
 Nunc sub fronde latens , celsâ ſuper arbore ,  
 prædam

Aspectat longè venientem : ſæpe per auras  
 In variis volitat , q̄uasi nil malè cogitet , orbes  
 Heu ! malè tunc volucris cælo ſe credidit audax ;

Tectave defessis remeavit pigrior alis.

Namque vafer solam ut vidiit per ianæ volantem  
Insequitur; pedibusque apprensam eviscerat uncis,  
Quin etiam si quando dies ad pascua totam  
Latior invitet plebem, cæloque feratur.  
Grex densus; medium ruit improvisus in agmen,  
Attonitamque ferox fugat in contraria turbam.  
Pars latet umbroso saltu; pars summa domorum  
Tecta petit; multæ dumos subiere, nec ipsoſ  
( Tantus amor vitæ, tantus timor hostis, )  
apertos.

Defugere ſinus hominum. Tu criminis tanto  
Offensus, cape ſaxa manu, cape ſpicula vindex;  
Observansque ferum plumbo, vel ſige ſagittâ:  
Armaque ſi defunt, geſtu, aut clamore minaci,  
Inſensus terre, & diram procul ejice peſtem.

Nec minor annos ſtabulis avertere matres  
Sollicitet te cura. Effoetæ namque Columbae  
Ut latam alterius ſobolem videre, benignæ  
Indolis immemores, infanos mente furores  
Concipiunt, nidos populantur, & omnia vastant;  
Quod multi ut caveant, ubi vidiit Cyprius ales  
Quartam hyemem (nec enim eſt plus quatuor uti-  
lis annos)

Dant & avos , proavosque neci , nec parcitur ulli ,  
Totaque mutatis cum civibus oppida mutant .  
Iasenum ne tu præceps imitere furorem ;  
Parce , nec infantes una pro crimine multos  
Dede neci : tanto minor est injuria damno .

Atque Columbarum pateat quò certior ætas .  
Unum , dum teneros retinent cunabula pullos ,  
Unguem adime , atque alium pariter rescinde quot-  
annis .

Quæis quatuor cecidere ungues , seclude ; tuique  
Non emptis dapibus faciant convivia verna .

Nunc age qui mores , quæ sit natura Columbis  
Expediam , levium spectacula grandia rerum .  
Nam solæ sylvis , hominum de more , relictis  
Vitam agitant simul ; atque ut habent communia  
cives

Oppida , sic illæ confortia tecta frequentant .  
At nulli proceres , nulli placuere tyranni ,  
Qui reliquum vulgus durâ sub lege tenerent .  
Sed velut in primâ nascentis origine mundi ,  
Cum scelerata trucem nondum discordia vultum  
Extulerat , neque Mars rastros mutarat in enses ,  
Nec scelus ediderat Styx horrida ; quisque pa-  
ternos .

Exercens agros, nullo livore feraces  
Alterius segetes, vicinaque rura videbat;  
Et jus cuique suum, sua lex, erat æqua voluntas:  
Non aliter, si parva licet componere magnis,  
Concordes animis in eādem turre Columbæ  
Innocuos sine lege dies sine criminē ducunt.  
Omnibus una domus, quæ sola impervia rixis  
Permanet, unus inest amor omnibus, una voluntas;  
Quæque urbes, populosq; suis discordia flammis  
Incendit, nunquam cīlibus otia bellis  
Turbavit Cypriæ volucris, nec dulcia pacis  
Vincula, plebis agens mentem in diversa, re-  
solvit.  
Nec modò pacatis penetralibus arma quiescunt,  
Quin etiam studium tot convictoribus unum est;  
Una omnes adēunt, redeuntque ad pascua: fontem  
Si sitit una, petunt omnes: si tecta revisit,  
Tecta placent. Tum si tristes pertæsa penates  
Arva petit rursus, volucrum per inania nubes  
Ponè subit, totoque volat densissima cælo,  
Quà dux cumque viam monstrat. Si segnior una;  
Vel tecti, vel prolis amans, comes ire recuset  
Huic reliquæ nullâ nidos formidine credunt,  
Non fraudem, non insidias, non furta timentes  
Cum

Cum gravibus spicis flavos redimita capillos  
 Diva potens frugum faciles quærentibus escas  
 Suppeditat, lætæ campis tunc omnibus errant:  
 Donec amor sobolis, vel noctis nuntius hesper  
 Quaserit ire domum, dulcesque revisere natos.  
 At cum terra riget glacialibus usta pruinis,  
 Conclusæ varios tunc intra septa domorum  
 Exercent ludos, tempusque, & tædia fallunt.  
 Sævitium si forte suam, si frigus, & imbræ  
 Intermittit hyems, cælumque serenat Apollo;  
 Tunc avis aprico spatiari Cypria tecto,  
 Ungue fricare caput, rostroque lacestere plumas  
 Gaudet, & instabiles adverso sole colores  
 Fingere. Nam rubris passim intermixta pyropis  
 Nunc roseo credas gestare monilia collo  
 Nunc carbuncleum videoas ardere nitorem,  
 Moxque sinu glauco virides miscere smaragdos.

Sæpe etiam steriles, cælo invitante, vagantur  
 Per campos, & humum vanis conatibus ungue  
 Scalpentes, tardam Cererem, frugesque morantes  
 Incepitant. Si quas alia de turre Columbas  
 Blanditiis tum fortè suis in tecta sequaces  
 Abduxere, novis instructa cubilia cedunt  
 Hospitibus, vitamque sub iisdem degere totis

Invitare, secumque cibis communibus uti.

Quid sobolis referam curas, ubi sedula mater  
 Undecimo matura die feliciter ova  
 Edidit: alternis tum mas, tum femina curis  
 Incubat, implumis rupto dum carcere pullus  
 Exeat, & teneros lanugine vestiat artus.  
 Mollius ut jaceant nati, sibi vellere plumas  
 Instat amans pater: at falsos ut in ora sapores  
 Inspuit, atque cibi primum inspiravit amorem,  
 Nec mora nec requies, labor unus utriusque pa-  
 renti

Largas ferre dapes, & edacem pascere prolem.  
 Grandibus ut primūm, pennā non impare, pullis  
 Aërias tentare vias, & quærere victimum  
 Vis, ætasque finunt, nidis tum mater adultos  
 Ejicit, invitatosque novæ concedere proli  
 Testa jubet: tristes abeunt, & fœdere pacto  
 Conjugii inter se subeunt sacra vincla, novisque  
 Prima novæ genti ponunt fundamina nidis.

Incorrupta sui conservant fœderalecti;  
 Et nunquam, nisi conjugium mors impia solvat,  
 Quam nidi sociam semel admisere, relinquunt.  
 Si superest, sponsæque videt vir tristia fata,  
 Longa memor damni viduo suspiria nido

Tristis agit, lacrymis sponsam gemituque requi-  
rens.

Post ubi connubii, mortisque excessit imago,

Innuptam tota querit de gente Columbam.

Atque ut certa sui det amoris signa, volantem

Affiduus sequitur: querulo tum gutture flamas

Explicat, & rostro petit oscula, datque vicissim.

Tum levibus duram, simulata percitus irâ,

Increpitat pennis, & amico verberat iactu.

Sæpe solum verrens alâ pendente rotatur;

Sæpe gemit, teneroque procus blanditur amore.

Quies tandem viæta illecebris si semina cedat.

Casta ineunt pariter stabili connubia pacto.

Talis erat tales aliâ sub imagine mores

Ingeniumque habuit cum cypria sceptra teneret,

Nam Cypro fama est quondam regnasse Colum-  
bam,

Pristera nomen erat; primam cognoscere formam

Si juvat, atque omnes audire ab origine casus,

Accipite, & tristem mecum miserefcite sortem.

Formosæ sobolis mater formosior olim

Pristera spectabat placidos è littore fluctus:

Mite fretum, sudusque dies, navesque paratae

Invitant pelago terras mutare silenti:

Vicinumque solo metiri puppibus æquor.  
 Jam decrescentes sylvas miratur & urbes  
 Ire retro , subitâ cum tempestate minaces  
 Insurgunt venti. Demittere cornua rector  
 Imperat & tutos appellere remige portus ;  
 Jussa sed impediunt ventusque potentior arte ,  
 Femineusque dolor ; refugi maris æstus in altum  
 Abripit , & socias agit in contraria naves.

Puppe vehebatur natis comitata duabus  
 Pristera , quæ assatam post mille pericula pinum  
 Excipit ignotis portus sine nomine terris.  
 Ut Regina solum tetigit , vultuque sereno  
 Spem simulans non nulla dedit solatia natis ,  
 Ipsa oculos sensit propiore tumescere fletu :  
 Ut secum gemat & lacrymis effundat habenas  
 Sepositâ fractos sub Quercu projicit artus ,  
 Multa movens animo quæs vento accesserit oras.  
 Quæ sibi spes vitæ , sponso quis mœror amanti.  
 In mediis fruticum tenebris tum fortè latebat  
 Milvus inhumanâ latro feritate timendus.  
 Vedit , & ex facie mentem cognovit iniquam ,  
 Accessusque viri metuens fugit ipsa fugamque  
 Accelerent tristes hortatur Pristera natas.  
 Sed quid agant , pede nam melior jam proximus  
 instat

Milvus, & in tantis superest spes nulla periclis.  
 Sollicitant votis superos, vitâque pudorem  
 Ut redimant, subitâ perimi vel morte precantur;  
 Aut alio, si fas, in corpore ducere vitam,  
 Alite mutari, pennisque revisere Cyprum.  
 Non vanæ cecidere preces, non irrita vota;  
 Protinus in plumas crines, velamina, vittas  
 Ire vident, os in rostrum producitur, alis  
 Candescunt humeri queis se per inania tollunt.

Milvus ut ereptam nova per miracula prædam  
 Vedit inexpertis se ferre per aëra pennis;  
 O! si Mercurius furum pater adjuvet, inquit;  
 Humanisque suas humeris accommodet alas!  
 Adfuit interpres divinæ, virgâque potenti  
 Taeta superfusis dat membra nigrescere plumis:  
 Quem manibus tentans divellere Milvus amictum  
 Pro manibus pennes habet: cheu! clamitat amens  
 Eheu quid volui misero mihi! plura parabat  
 Dicere, sed verbo jam deficiente, recurvo  
 Imperfecta lipit rostro, quâ territus ipse  
 Voce fugit, prædamque iterum per inane volan-  
 tem

Insequitur; nec quas rabidus conceperat iras  
 Nunc cecidere, manet sub eodem nomine Milvus;

Sanguinis idem amor est ; eadem feritatis imago :  
Nec volucrum satis est, hominum quoque san-  
guine gaudet.


Interea cælo volat anxia Præstera , natas  
Vestigans nequicquam oculis : jam tuta tenebant  
Saxa , quibus vitam ducentes alta perosæ  
Oppida , cellarī nomen fecere Columbo :  
Ipsaque longinquas vento quæ mater in oras  
Crediderat venisse , Cyprum cognovit , & ædes  
Non procul esse suas meminit. Videt atria regis ,  
Nec dubitat sponsi , quamvis ignota , penates  
Intrare , & tangi manibus , nomenque , suosque  
Dicere si possit casus. Pro voce quot artes.  
Quot scit inire vias industria ; si quis obortis  
Reginam absentem lacrymis gemituque requirat ;  
Huc volat , & miris quærit se prodere signis.  
Quà natos videt , hue plaudentibus advolat alis ,  
Accipiunt pueri volucrem , & dum tristia matris  
Tristes fata gemunt , gemitus incognita mater  
Mitigat , & lusus eadem est , & causa doloris.  
Sponsum autem in primis circumvolat ægra , ma-  
rito  
Affidet ; & volucri princeps , si pabula tantum  
Offerat , aut manibus tractaverit , oscula caris .

Dat manibus , gemitumque iuso de pectore ducit.  
Nil gemitus , nil alta juvant suspiria , nulli  
Noscitur , & tacitum cunctis inspirat amorem ,  
Quanquam ignota tamen Cypriis vitam egit iam  
oris :

Nunc & amat Cyprum terris magis omnibus unam  
Hinc Cypriæ nomen deducit. Pristea græcis  
Dicta fuit , veteres latii dixere Columbam.  
Ipsa dedit toti nomen cum sanguine genti ;  
Signaque regalis generis manifesta , coronam  
Vertice gestat ovans , regaliter ambulat , altos  
Queis habitat luxu gaudet splendere penates ,  
Et , quod femineum vitium est , formosa videti  
Nunc quoque mutato vult corpore ; namque su-  
perbam ,

Altius ire vides , & circumducere collum ,  
Atque recompositas sub lege reponere plumas :  
At nemus omne , sui casus non immemor , odit.  
Servat adhuc mites animos , & pacis amantes ,  
Et veterem non est oblita pudoris amorem ;  
Nam neque concubitu volucris castissima novit  
Indulgere vago ; nubit , sanctamque marito  
Seruat sponsa fidem , nec vincla jugalia solvit.





INDEX RERUM

# INDEX RERUM

## LIBER PRIMUS.

Quomodo fundum emi ac reparari oporteat.

**Q**UAE in emendo fundo consideranda sint. Prædiſ ſtus, Regionis ſalubritas, Aquarum bonitas, Fundi reditus, Viciaria, pag. 5. &c. Reparandum Prædiū negligentia prioris Domini in fructuofum. Ejiciendi lapides, Extirpanda mala ſemina, Renovanda prata, Reſtituenda arbores, Derivanda aqua, Paludes exſiccandæ, &c. pag. 10. &c. Ubi de Regio Alveo pag. 13. &c De Origine Fontium pag. 17. &c.

Quomodo & in quâ fundi parte fit ædificandum, pag. 19. &c.

Optima fundi partitio, ſeminum ac Plantarum oportunitatis locis conſerendarum diſtributio, p. 28. &c Sylvis parcendum, diuque de iis excidendis deliberaendum, ubi de prædio Collegii Tolofani S. J. pag. 31. &c. de Bavillæo rure p. 37. &c

## LIBER II.

Servorum delectus eorumque Ministeria.

**D**E Aratore, ejusque animi indole & corporis habitu, pag. 41. Arandi tempus & modus, Baum cura, pag. 42.

De Pastore, ejusque moribus & industria & priſci uite ſt. oritur aignitate p. 43. &c.

De Oliatore, Vinitore &c. p. 49.

De Villico, ejusdemque domesticis & agrestibus curis p.

Z z



## INDEX RERUM.

51. &c. de fortunata agricolarum vitâ. p. 58. &c.  
De Villicâ, ejusque dotibus, officiis, rei domesticæ curâ, puerorum institutione, &c. p. 61. &c. ubi rusticanæ virginis describuntur nuptiæ. p. 70. &c.

## LIBER TERTIUS.

### Armenta majora.

- D E Equo, p. 74. de Bove, p. 75. &c. de Afino, p. 79  
De Mulis. p. 81. De Pecorum morbis eorumque medicinâ. p. 82. &c. De Vaccarum curâ & casei conficiendi ratione. p. 90. &c.

## LIBER QUARTUS.

### Armenta minora.

- D E Ove, ejusque utilitate, moribus, pastuis, tonsurâ &c. p. 95. &c. De Ariete. p. 98. &c. De Vervece. p. 100. De Capris, & Hirco. p. 101. &c. p. 105. De Sue, ejusque fædis moribus variisque morbis. p. 106. &c. De Cane Venatico. p. 110. &c. De Cane Villatico. p. 112. &c. De Cane Pastorali. p. 115. &c. Canum mores & amor in dominos. p. 116. &c. Ubi de Brutorum animâ. p. 118. &c.

## LIBER QUINTUS.

### Arbores.

- O Liveta. p. 122. &c. Nemora. p. 127. &c. Arbores quæ maximè propter umbram aluntur. Ulmus, Tilia, Carpinus, Cupressus, Morus, Salix, Populus, Buxus, Abies, Fagus, &c. p. 132. &c. Arbores frugiferæ, earumque conserendarum ratio. p. 135. De insitione Arborum, p. 137. &c.

## INDEX RERUM.

- Cultura, *Poni*, *Fici*, *Citri*, *Nucis*, *Amygdalæ*, *Persici*,  
*Armenie*, *Cerasi*, *Pyri*, &c. p. 139. &c.  
Arboris putandæ modus & tempus. p. 143. &c.  
Arborum Morbi eorumque remedia, pag. 147. &c.  
*Ubi pluribus de plantarum nutritione.*

## LIBER SEXTUS.

### Olius.

**H**orti situs, ejusque instituendi & irrigandi ratio, p. 162. &c. Variae oleris species & cultura, p. 166. &c. Quid in horto peragi oporteat sub Autumni finem, p. 169. &c. Quid Hyeme, p. 172. &c. Quid vere, p. 174. Inimica oleri animalia quâ arte avertenda, p. 177. &c. Peculiaris aliquot herbarum cultura, maximè *Peponis*, *Cucumis*, *Fragorum*, *Cinaræ* *ciceris* &c. p. 179. &c. Quantam ea agriculturæ pars utilitatem habeat & voluptatem, p. 183. &c.

## LIBER SEPTIMUS.

### Vites.

**Q**uæ tellus, quæ regio Viti magis opportuna, p. 189. &c. Varia pro variis gentibus Vitis cultura, p. 192. &c. Eligendum vitis semen ejusque Optima Satio, p. 195. &c. Ars putandæ Vitis, p. 198. &c. Ejusdem fodiendæ tempus, p. 201. &c. Quomodo curanda Vitis donec uixæ maturuerint, p. 202. &c. Vindemia. p. 205. &c.

## LIBER OCTAVUS.

### Vinum.

**D**e cellis vinariis, p. 211. &c. Varia pro vario solo, variisq; terræ plagis vina, p. 214. &c. Vinum

## INDEX RERUM.

Apianum , p. 216. &c. Vina adulterata. p. 217. &c.  
Vinum quam utile quam periculosum. Ubi de ebrietate , p. 218. &c. Optima vini confiendi ejusque conservandi ratio , pag. 223. &c.

## LIBER NONUS.

### Aves Cortales.

Pavo , p. 230. & 247. Gallinæ earumque incubitus. p. 233. &c. Pulli formatio. p. 236. &c. ejusdem exclusi cura. p. 238. &c. Capus. p. 239. &c. Anas , Anser , p. 241. &c. Gallus Gallinaceus. p. 242. &c. Gallus indicus , p. 245. Gallina indica. p. 245. Cygnus. p. 246. &c. Gallinatum, alia que quæ ad victimum & curam avium cortalium pertinent. p. 248. &c.

## LIBER DECIMUS.

### Columbæ.

Columbarum turres & nidi. p. 254. &c. Variæ Columbarum species. p. 256. &c. Columbarii instituendi ratio. p. 258. &c. Quis cibus Columbis apponendus. p. 259. &c. Quæ pro earum incolumitate cavenda & providenda. p. 260. &c. Columbæ Mores & ingenium. p. 263. &c. ejusdem Metamorphosis. p. 267. &c.



